NOVISSIMA

PRO CISMONTANA

MINORUM FAMILIA

GENERALIUM CONSTITUZIONUM

COLLECTIO

REVERENDISSIMI PATRIS

F. JOANNIS A CAPISTRANO

TOTIUS ORDINIS MINORUM

MINISTRI GENERALIS

JUSSU EDITA



NEAPOLI,
EX TYPOGRAPHIA JANUARII PALMA

1828.

FR. JOANNES A CAPISTRANO

Lector Emeritus, Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Consultor, coram Sanctissimo Episcoporum Examinator, in Academia Theologica ad Archigymnasium Romanum Censor Emeritus, necnon totius Ordinis Minorum Minister Generalis, Commissarius Visitator, ac Reformator Apostolicus, et humilis in domino Servus:

Omnibus sibi in hac Cismontana Familia subjectis salutem in Domino sempiternam

Ut compilationis istius necessitatem, pretium, gravitatem paucis praeloquendo edisseramus, rei ipsius natura postulat et institutum. Vix brevi elapso tempore, ex quo Reverendissimus P. Michael-Angelus a Sambuca Praedecessor Noster anno 1663 *Constitutionum Ordinis pro Cismontana Familia, ceteris, quae praecesserant, jure optimo reprobatis, novam collectionem edidit (quam a Collectoris patria* Sambucanam *dixere), compertum fuit, longe illam ab ea perfectione distare, quae in tanti momenti opere juremerito petebatur. Plura siquidem nedum cum legibus Ordinis non congruebant, quinimmo nonnullis Romanorum Pontificum et Constitutionibus, et Decretis adversabantur. Saepe itaque in posterioribus Capitulis Generalibus jam correctio, et emendatio, jam nova eaque accuratior Compilatio decreta fuit: verum inaniter omnino. Siquidem quamquam viri et eruditione, et dignitate illustres in id operam contulere suam; nihilominus sive in legibus, quae vigebant adhuc, ab iis quae jam obsoleverant secernendis difficultate nimia deterriti, sive curis aliis distenti ac praepediti, nihil ex horum industria atque conatibus suscepimus utilitatis: atque per annos fere centum codex nullus, praeter Sambucanum illum, aut antiquiorem alterum Calatahieronensem, Fratrum omnium manibus tenebatur.*

Capitulum tandem Generale anno 1762 *Mantuae coactum Patri Josepho a Vedano omnigenae eruditionis viro, praesertim jurisprudentiae laude celebri, coram Summo Pontifice Episcoporum examinatori, deinceps vero in hac nostra Familia Commissario Generali, hanc spartam commisit exornandam. Improbo annorum trium labore rem vir egregius ita perfecit, ut anno* 1765 *Patribus Alverniae pro Generali Congregatione adunatis novam Collectionem a se elaboratam exhibuerit. Patres vero illi Sessione XIII primoribus quatuor inter nostrates selectis, scilicet Commissario Generali Romanae Curiae, Generali Reformatorum Procuratore, Cherubino ab Urbe Definitore Generali, ac Bonaventura Tusculano Reformatae Romanae Provinciae Custode, iisdem ut opus a Vedano confectum ea, quam regravitas exigebat, sedulitate recognoscerent, atque ad examen revocarent, imperavit: hac insuper adjecta lege, ut siquid dubietatis, atque difficultatis emergeret, tum Reverendissimus Clemens a Panormo Exminister Generalis, tum Reverendissimus Paschalis a Varisio Generalis Familiae Commissarius consu-*

lerentur. Jussis accuratissime obtemperatum: et quidem ita, ut anno 1768 Comitiis Generalibus Valentiae coactis opus illud numeris omnibus absolutum sisteretur, quo auctoritate sua legitime illud probaret, atque sanciret. Pluribus in Sessionibus cuncta discussa fuere. Ac tandem Sessione XV Patres illi quasi in re tutissima adhuc pertimescentes ita statuere:=Quod ad novam statutorum Generalium compilationem attinet, commendata Reverendissimi Auctoris, et Revisorum diligentia, sublatisque in praecedentibus sessionibus variis dubiis ab eisdem excitatis, si alia supersint adhuc vel occurrant ut opus undequaque obsolutum quamcitius (quod vehementer optamus) in lucem prodeat, placet, ut Reverendissimus pater Minister Generalis cum cousilio, et voto patrum in Romana Curia apud se existentium super his deliberet. Definitorium enim Generale per suum compromissum se ad eos accedere, et deliberationi sic faciendae consentire declarat=. Compromissarii itaque quavis exceptione majores, scilicet Reverendissimus Paschalis a Varisio tunc temporis Minister Generalis, Eustachius a Neapoli Procurator Generalis Ordinis, Carolus Antonius a Samocleo Procurator Generalis Reformatorum, Jacobus Antonius a Tusculo Definitor Generalis, deinceps vero Procurator Generalis Ordinis, atque Episcoporum Examinator, extrema tandem operi imposita manu in haec verba decrevere: Eamdem Collectionem in Familiae, et Provinciarum usum, et commodum edi posse, ac debere.

Nos penitus latet quidnam in causa fuerit ne opus illud tanta aviditate expetitum, tantoque nisu digestum citissime in lucem ederetur. Siquidem nemo unus, nisi P. Augustinus a Neapoli Generalis Ordinis Chronologus saeculo decimonono ineunte illius evulgandi propositum iniit. Omnia Viri Clarissimi studio atque sedulitate parata erant ad praelum: ast quin voti compos evaderet postremae totius Europae perturbationes impedimento fuere: infectaque re ad haec usque tempora pervenimus.

Cum itaque Nobis singulas totius fere Italiae provincias invisentibus datum sit noscere, vix paucissima aut Sambucanae, aut Calatahieronensis Collectionis exemplaria reperiri; proindeque Familiam hanc nostram legum authenticarum codice penitus destitui; hoc inter cetera ad regularis disciplinae restaurationem necessaria moliri nostri muneris esse putavimus, ut hanc eamdem tot laboribus confectam, tot examinibus expolitam, tot nominibus commendabilem Compilationem de Nostri Discretorii Generalis consilio publici juris faceremus.

Ex hisce brevi eloquio historice relatis quisque novit istarum legum auctoritas quanta sit. Quod ut plenius agnoscatur meminisse juvabit, Generale Capitulum duntaxat legum sive ferendarum, sive abrogandarum potestate et auctoritate pollere. Quo posito: hujusce operis existimatio non inde solum eruenda, quod a viris in Ordine praestantissimis nulli fuerit labori parcitum in legibus pluries inter se mutuo conferendis, ac secernendis; sed, quod summum rei pretium est, ipsarum singulis nulli authenticarum legum characteres desint, utpote quae a Generali Capitulo tamquam vero legitimoque Ordinis universi legislatore fuerint per compromissum approbatae: id quod Sambucanae, atque cuivis alteri, qua hactenus usi fuimus, deerat Collectioni. Quapropter Collectio ista plenam sibi ita vindicat auctoritatem, ut sit nihil, quod ulterius in ea desiderari possit.

Propositum nobis fuerat, ut integra legum istarum servaretur auctoritas,

easdem ne verbulo quidem immutatò proferre. Ast a proposito hujusmodi resilire Pontificis Summi LEONIS XII (quem diu sospitem ad Universalis Ecclesiae bonum servet Omnipotens) compulit auctoritas. Etenim in Regularium Ordinum gratiam eidem minime placuit peccantes alumnos triremis poena damnare. Quoties itaque per Ordinem nostrum poena hujusmodi infligenda foret, toties, eodem Pontifice jubente, aut perpetua, aut temporalis sive ergastuli, sive carceris poena sancitur. Illud quoque, quod ad foedissimi sceleris poenam, de quo numero 530, olim decretum erat, cum eidem Christi in terris Vicario minime arriserit, expungi oportuit. Paucula haec fuere a Nobis, immo potius ab Apostolica Sede immutata.

Ceterum ex quo Pii VII apostolicis litteris Inter graviores *aliquam Ordinis etiam nostri politia vicissitudinem subierit, opus fuisset alia quoque eo spectantia emendare. Sed monenta non defuere, quibus moti fuimus ut ab eo consilio desisteremus, opportuniori tempore ea discutienda, ac statuenda relinquentes, Eo vel magis quod disciplinae instaurationi, ad quam potissimum intendimus animo, ea minime officiant.*

Unum est, quod ad pleniorem rei intelligentiam praemonendum superest. Nempe cum Leges istae Compilatorum industria sint veluti in compendium redactae; si quid obscuritatis in illarum aliqua occurrat, ex iis genuinus eruendus est sensus, quae fusiori calamo in Ordinis Chronologia referuntur. Cujus rei gratia ipsarum singulis postillas, *ut vocant, seu notulas marginales apposuimus, ut quisque noverit ubinam clarius rem, qua de agitur, magis explanatam perquirat. Ast quia Generalis Capituli Romani* 1651 *acta jussu Capituli alterius Toletani* 1658 *reformata fuere, haec a nobis allegantur prout in Tomo IV pag.* 127. Orbis Seraphici *habentur emendata. Id quod est sedulo cavendum, ne quem aut chronologia Julii Veneti, aut Caroli Perusini fallat, qui tabulas illas non emendatas retulere.*

Pauca haec praefari debuimus, longe plura, eaque graviora dicturi, quae italicae versioni ad comunem, planioremque intelligentiam adornatae praemittemus. Dum vos itaque, Filii in Christo charissimi, ut in legibus istis mature expendendis, ad earumque normam vitam vestram componendam sedulo incumbere velitis hortamur, Seraphicam singulis Benedictionem impertimur.

Datum ex nostro Aracoelitano conventu Die Sanctissimi P. N. Francisci Stigmatibus sacro 1827.

F. Joannes a Capistrano
Minister Generalis.

INDEX

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

CAPUT QUARTUM.

CAPUT QUINTUM.

CAPUT SEXTUM.

CAPUT SEPTIMUM.

CAPUT OCTAVUM

CAPUT NONUM.

CAPUT DECIMUM.

CAPUT UNDECIMUM.

CAPUT DUODECIMUM

REGULA
SERAPHICI SANCTI P. N. FRANCISCI
AB HONORIO III.
CONFIRMATA

Approbationis Regulae testimonium, et confirmationis initium.

Honorius Episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis fratri Francisco, et aliis fratribus de Ordine Minorum, salutem, et apostolicam benedictionem. Solet annuere Sedes Apostolica piis votis et honestis petentium desideriis favorem benevolum impertiri. Ea propter dilecti in Domino filii, vestris piis precibus inclinati, ordinis vestri Regulam, a bonae memoriae Innocentio Papa praedecessore nostro approbatam, annotatam praesentibus, auctoritate vobis Apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus, quae talis est.

IN NOMINE DOMINI.

Incipit Vita, et Regula Fratrum Minorum. Cap. I.

Regula, et vita Fratrum Minorum haec est, scilicet Domini nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia: sine proprio: et in castitate. Frater Franciscus promittit obedientiam, et reverentiam Domino Papae Honorio, ac successoribus ejus canonice intrantibus, et Ecclesiae Romanae. Et alii fratres teneantur fratri Francisco, et ejus successoribus obedire.

De his, qui volunt vitam istam accipere, et qualiter recipi debeant. Cap. II.

Si qui voluerint hanc vitam accipere: et venerint ad fratres nostros: mittant eos ad suos Ministros provinciales, quibus solummodo, et non aliis recipiendi fratres licentia concedatur. Ministri vero diligenter examinent eos de Fide Catholica: et de Ecclesiasticis sacramentis. Et si haec omnia credant: et velint ea fideliter confiteri: et usque in finem firmiter observare: et uxores non habeant, vel si habent, et jam monasterium intraverint uxores, vel licentiam eis dederint, auctoritate dioecesani Episcopi voto continentiae jam emisso: et illius sint aetatis uxores: quod non possit de eis oriri suspicio, dicant illis verbum sancti Evangelii, quod vadant, et vendant omnia sua, et ea studeant pauperibus erogare: Quod si facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas. Et caveant fratres, et eorum Ministri, ne solliciti sint de rebus suis temporalibus: ut libere faciant de rebus suis, quicquid Dominus inspiraverit eis. Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant Ministri mittendi eos ad aliquos Deum timentes: quorum consilio bona sua pauperibus erogentur. Postea concedant eis Pannos probationis: videlicet duas tunicas sine

capucio, et cingulum, et brachas, et caparonem usque ad cingulum; nisi eisdem Ministris aliud secundum Deum aliquando videatur. Finito vero anno probationis, recipiantur ad obedientiam promittentes vitam istam semper, et regulam observare. Et nullo modo licebit eis de ista religione exire juxta mandatum Domini Papae: quia secundum sanctum Evangelium, nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro aptus est regno Dei. Et illi, qui jam promiserunt obedientiam, habeant unam tunicam cum capucio: et aliam sine capucio, qui voluerint habere, et qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta. Et fratres omnes vestimentis vilibus induantur, et possint ea repeciare de saccis, et aliis petiis cum benedictione Dei. Quos moneo, et exhortor ne despiciant, neque judicent homines, quos viderint mollibus vestimentis, et coloratis indutos: uti cibis et potibus delicatis: sed magis unusquisque judicet, et despiciat semetipsum.

De divino officio, et jejunio, et quomodo fratres debeant ire per mundum. Cap. III.

Clerici faciant divinum officium secundum ordinem sanctae Romanae Ecclesiae: excepto Psalterio: ex quo habere poterunt Breviaria. Laici vero dicant vigintiquatuor Pater noster pro Matutino: pro Laudibus quinque: pro Prima, Tertia, Sexta, et Nona, pro qualibet istarum septem: pro Vesperis autem duodecim: pro Completorio septem: et orent pro Defunctis. Et jejunent a festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini. Sanctam vero Quadragesimam, quae incipit ab Epiphania usque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto jejunio consecravit: qui voluntarie eam jejunant, benedicti sint a Domino: et qui nolunt, non sint astricti: sed aliam usque ad Resurrectionem Domini jejunent. Aliis autem temporibus non teneantur, nisi sexta feria jejunare. Tempore vero manifestae necessitatis, non teneantur fratres jejunio corporali. Consulo vero, moneo, et exhortor fratres meos in Domino Jesu Christo, ut quando vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis: nec alios judicent: sed sint mites, pacifici, et modesti, mansueti, et humiles, honeste loquentes omnibus sicut decet. Et non debeant equitare, nisi manifesta necessitate, vel infirmitate cogantur. In quamcumque domum intraverint; primum dicant: Pax huic domui, et secundum sanctum Evangelium de omnibus cibis, qui apponuntur eis, liceat manducare.

Quod fratres non recipiant pecuniam. Cap. IV.

Praecipio firmiter fratribus universis, ut nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam personam: tamen pro necessitatibus infirmorum, et aliis fratribus induendis, per amicos spirituales, Ministri tantum, et Custodes solicitam curam gerant, secundum loca, et tempora, et frigidas regiones sicut necessitati viderint expedire. Eo semper salvo, ut (sicut dictum est) denarios, vel pecuniam non recipiant.

De modo laborandi. Cap. V.

Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter, et devotè, ita quod excluso otio animae inimico, sanctae orationis, et devotionis Spiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deservire. De mercede vero laboris, pro se, et suis fratribus, corporis necessaria recipiant, praeter denarios, vel pecuniam. Et hoc humiliter, sicut decet servos Dei, et paupertatis sanctissimae sectatores.

Quod fratres nihil sibi approprient: et de eleemosyna petenda, et de fratribus infirmis. Cap. VI.

Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem: sed tamquam peregrini, et advenae in hoc saeculo, in paupertate, et humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter. Nec oportet eos verecundari: quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Haec est illa celsitudo altissimae paupertatis, quae vos charissimos fratres meos, haeredes, et Reges Regni coelorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Haec sit portio vestra, quae perducit in terra viventium. Cui, dilectissimi fratres, totaliter inhaerentes, nihil aliud, pro nomine Domini nostri Jesu Christi, in perpetuum sub Coelo habere velitis. Et ubicumque sunt et se invenerint fratres, ostendant se domesticos invicem inter se, et secure manifestet unus alteri necessitatem suam: quia si mater nutrit, et diligit filium suum carnalem, quanto diligentius debet quis diligere, et nutrire fratrem suum spiritualem? Et, si quis eorum in infirmitatem ceciderit, alii fratres debent ei servire, sicut vellent sibi serviri.

De poenitentia fratribus peccantibus imponenda. Cap. VII.

Si qui fratrum, instigante inimico, mortaliter peccaverint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres, ut recurratur ad solos Ministros provinciales: teneantur praedicti fratres ad eos recurrere, quam citius poterint sine mora. Ipsi vero Ministri, si Presbyteri sint, cum misericordia injungant illis poenitentiam. Si vero Presbyteri non sunt, injungi faciant per alios Sacerdotes Ordinis, sicut eis secundum Deum melius videbitur expedire. Et cavere debent, ne irascantur, et conturbentur propter peccatum alicuius, quia ira, et conturbatio in se, et in aliis impediunt charitatem.

De electione Generalis Ministri hujus fraternitatis: et de Capitulo Pentecostes. Cap. VIII.

Universi fratres unum de fratribus istius Religionis teneantur semper habere Generalem Ministrum et servum totius fraternitatis: et ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente, electio Successoris fiat a Ministris provincialibus, et Custodibus in Capitulo Pentecostes: in quo provinciales Ministri teneantur semper insimul convenire, ubicumque a Generali Ministro fuerit constitutum. Et hoc semel in tribus annis, vel ad alium terminum majorem, vel minorem, sicut a praedicto Ministro fuerit ordinatum. Et si aliquo tempore appareret Universitati Ministrorum Provincialium, et Custodum, praedictum Ministrum non esse sufficientem ad servitium, et communem utilitatem fratrum, teneantur praedicti fratres, quibus electio data est, in Nomine Domini alium sibi eligere in Custodem. Post Capitulum vero Pentecostes, Ministri, et Custodes possint singuli, si voluerint et eis expedire videbitur, eodem anno in suis Custodiis, semel fratres suos ad Capitulum convocare.

De praedicatoribus. Cap. IX.

Fratres non praedicent in Episcopatu alicujus Episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum. Et nullus fratrum populo penitus audeat praedicare, nisi a Ministro Generali hujus Fraternitatis fuerit examinatus, et approbatus, et ab eo sibi Officium praedicationis concessum. Moneo quoque, et exhortor eosdem fratres, ut in praedicatione, quam faciunt, sint examinata, et casta eorum eloquia, ad utilitatem, et aedificationem populi: annunciando eis vitia, et virtutes, poe-

nam, et gloriam, cum brevitate sermonis: quia verbum abbreviatum fecit Dominus super terram.

De admonitione, et correctione fratrum. Cap. X.

Fratres, qui sunt Ministri, et servi aliorum fratrum, visitent, et moneant fratres suos, et humiliter, et charitative corrigant eos, non praecipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam, et Regulam nostram. Fratres vero qui sunt subditi, recordentur, quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. Unde firmiter praecipio eis, ut obediant suis Ministris in omnibus, quae promiserunt Domino observare, et non sunt contraria animae suae, et Regulae nostrae. Et ubicumque sunt fratres, qui scirent, et cognoscerent, se non posse Regulam spiritualiter observare, ad suos Ministros debeant, et possint recurrere: Ministri vero charitative, et benigne eos recipiant, et tantam familiaritatem habeant circa ipsos, ut dicere possint eis, et facere sicut Domini servis suis. Nam ita debet esse, quod ministri sint servi omnium fratrum. Moneo vero, et exhortor in Domino Jesu Christo, ut caveant fratres ab omni superbia, vanagloria, invidia, avaritia, cura, et solicitudine hujus saecoli, detractione, et murmuratione. Et non curent nescientes litteras, litteras discere: sed attendant, quod super omnia desiderare debent, habere Spiritum Domini, et sanctam ejus operationem: orare semper ad Deum puro corde, et habere humilitatem, et patientiam in persecutione, et in infirmitate, et diligere eos, qui nos persequuntur, reprehendunt, et arguunt; quia dicit Dominus: Diligite inimicos vestros, et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est Regnum coelorum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

Quod fratres non ingrediantur Monasteria Monacharum. Cap. XI.

Praecipio firmiter fratribus universis, ne habeant suspecta consortia, vel consilia mulierum, et ne ingrediantur Monasteria Monacharum; praeter illos, quibus a Sede Apostolica concessa est licentia specialis: Nec fiant Conpatres virorum, vel mulierum: ne hac occasione inter fratres, vel de fratribus scandalum oriatur.

De euntibus inter Saracenos, et alios infideles. Cap. XII.

Quicumque fratrum, divina inspiratione, voluerint ire inter Saracenos, et alios infideles, petant inde licentiam a suis Ministris provincialibus. Ministri vero nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis, quos viderint esse idoneos ad mittendum. Ad haec per obedientiam injungo Ministris, ut petant a Domino Papa unum de Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector, et Corrector istius fraternitatis; ut semper subditi, et subjecti pedibus ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae, stabiles in fide Catholica, paupertatem, et humilitatem, et sanctum Evangelium Domini nostri Jesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus.

Confirmationis Regulae conclusio.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, tertio Kalendas Decembris, Pontificatus nostri An. octavo.

Explicit confirmatio Regulae Fratrum Minorum.

INCIPIT TESTAMENTUM BEATI PATRIS NOSTRI FRANCISCI.

Dominus dedit mihi fratri Francisco ita incipere facere poenitentiam: quia, cum essem in peccatis, nimis videbatur mihi amarum videre leprosos: sed ipse Dominus conduxit me inter illos, et feci misericordiam cum illis. Et recedente me ab ipsis, id, quod videbatur mihi amarum, conversum fuit mihi in dulcedinem animae, et corporis. Et postea parum steti, et exivi de saeculo. Et Dominus dedit mihi talem fidem in Ecclesiis: ut ita simpliciter adorarem, et dicerem: Adoramus te sanctissime Domine Jesu Christe hic, et ad omnes Ecclesias tuas, quae sunt in toto mundo, et benedicimus tibi, quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum. Postea Dominus dedit mihi tantam fidem in Sacerdotibus, qui vivunt secundum formam sanctae Romanae Ecclesiae, propter Ordinem ipsorum, quod si facerent mihi persecutionem, volo recurrere ad ipsos. Et si haberem tantam sapientiam, quantam Salomon habuit; et invenirem pauperculos Sacerdotes hujus saeculi; in Ecclesiis, in quibus morantur, nolo praedicare contra voluntatem ipsorum; et ipsos, et omnes alios volo timere, amare, et honorare sicut dominos meos: Et nolo in ipsis considerare peccatum: quia Filium Dei discerno in eis, et domini mei sunt. Et propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc saeculo de ipso Altissimo Filio Dei, nisi sacratissimum corpus ejus, et sanctissimum sanguinem suum, quem ipsi conficiunt, et ipsi soli aliis administrant. Et haec sanctissima mysteria super omnia volo honorare, et venerari, et in locis pretiosis collocare. Sanctissima vero nomina, et verba ejus scripta, ubicumque invenero in locis illicitis, volo colligere, et rogo, quod colligantur, et in loco honesto collocentur. Et omnes theologos, et qui ministrant nobis sanctissima verba divina, debemus honorare, et venerari, sicut qui ministrant nobis spiritum, et vitam. Et postquam Dominus dedit mihi de fratribus, nemo ostendebat mihi, quid deberem facere: sed ipse Altissimus revelavit mihi, quod ego deberem vivere secundum formam sancti Evangelii: Et ego paucis verbis, et simplicibus feci scribi: et Dominus Papa confirmavit mihi. Et illi, qui veniebant ad recipiendam vitam istam, omnia, quae habere poterant, dabant pauperibus. Et eramus contenti tunica una intus, et foris repeciata, cum cingulo, et brachis, et nolebamus plus habere. Officium dicebamus nos Clerici secundum alios Clericos. Laici dicebant Pater noster. Et satis libenter manebamus in Ecclesiis. Et eramus idiotae, et subditi omnibus. Et ego manibus meis laborabam, et volo laborare, et omnes alii fratres firmiter volo, quod laborent de laboritio, quod pertinet ad honestatem: et qui nesciunt, discant: non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, sed propter bonum exemplum, et ad repellendam otiositatem. Et quando non daretur nobis pretium laboris, recurramus ad mensam Domini, petendo eleemosynas ostiatim. Salutationem hanc mihi Dominus revelavit, ut diceremus, Dominus det tibi pacem. Caveant sibi fratres, ut Ecclesias, et habitacula, et omnia alia, quae pro ipsis construuntur, penitus non recipiant, nisi essent secundum sanctam paupertatem, quam in Regula promisimus, semper ibi hospitantes tamquam advenae, et peregrini. Praecipio firmiter per obedientiam fratribus universis, quod ubicumque sunt, non audeant petere aliquam literam in Curia Romana, per se, vel per interpositam personam; ne-

que pro Ecclesia, neque pro aliquo loco, neque sub specie praedicationis, neque pro persecutione suorum corporum: sed ubicumque non fuerint recepti, fugiant in aliam terram, ad faciendam ibi poenitentiam cum benedictione Dei. Et firmiter volo obedire Generali Ministro, et illi Guardiano, quem sibi placuerit mihi dare, et ita volo esse captus in manibus suis, ut non possim ire, vel facere ultra voluntatem suam: quia Dominus meus est. Et quamvis sim simplex, et infirmus, tamen volo semper habere Clericum, qui mihi faciat officium, sicut in Regula continetur. Et omnes alii fratres teneantur per obedientiam obedire Guardianis suis, et facere officium secundum Regulam. Et qui inventi essent, qui non facerent officium secundum Regulam, et vellent alio modo variare; aut non essent Catholici; omnes fratres ubicumque sunt, per obedientiam teneantur, quo ubicumque invenerint aliquem ipsorum, proximiori Custodi illius loci, ubi ipsum invenerint, debeant praesentare. Et Custos teneatur per obedientiam ipsum fortiter custodire, sicut hominem in vinculis, die noctuque ita quod non possit eripi de manibus suis; donec propria persona sua, ipsum repraesentet in manibus sui Ministri. Et Minister teneatur firmiter per obedientiam mittere ipsum per tales Fratres, qui die noctuque custodiant ipsum; sicut hominem in vinculis, donec repraesentet ipsum coram Domino Ostiense, qui est dominus Protector, et Corrector istius fraternitatis. Et non dicant fratres, haec est alia Regula: quia haec est recordatio, admonitio, et exhortatio, et meum testamentum; quod ego frater Franciscus parvulus vester, facio vobis fratribus meis benedictis, propter hoc ut Regulam, quam Domino promisimus, melius catholice observemus. Et Generalis Minister, et omnes alii Ministri, et Custodes, teneantur per obedientiam in istis verbis non addere, vel minuere. Et semper hoc scriptum habeant secum juxta Regulam. Et in omnibus Capitulis, quae faciunt, quando legunt Regulam, legant et ista verba. Et omnibus fratribus meis, clericis, et laicis praecipio firmiter per obedientiam, ut non mittant glossas in Regula, nec in istis verbis, dicendo ita volunt intelligi. Sed sicut Dominus dedit mihi pure, et simpliciter dicere, et scribere Regulam, et ista verba, ita simpliciter, et pure, sine glossa intelligatis, et cum sancta operatione observetis usque in finem. Et quicumque haec observaverit, in Coelo repleatur benedictione altissimi Patris coelestis, et in terra repleatur benedictione dilecti fili sui, cum sanctissimo Spiritu Paraclito, et omnibus Virtutibus coelorum, et omnibus Sanctis. Et ego frater Franciscus parvulus vester, et servus, quantumcumque possum, confirmo vobis intus, et foris istam sanctissimam benedictionem. Amen

Explicit Testamentum Beatissimi Patris N. Francisci.

Beatissimi Patris N. Francisci in Regulae Observatores Benedictio.

O dilectissimi Fratres, et in aeternum benedicti Filii: audite me, audite vocem Patris vestri. Magna promisimus, majora promissa sunt nobis. Servemus haec, suspiremus ad illa. Voluptas brevis, poena perpetua; modica passio, Gloria infinita: multorum vocatio, paucorum electio: omnium retributio. Amen.

Ejusdem in transgressores Regulae maledictio.

A te, Sanctissime Pater, et a tota Coelesti Curia, et a me paupercule sint maledicti qui suo malo exemplo confundunt, et destruunt quod per Sanctos Fratres hujus Ordinis aedificasti, et aedificare non cessas. Amen.

IN NOMINE DOMINI

CAPUT I.

Regula, et Vita Fratrum Minorum haec est, scilicet Domini nostri Jesu Christi Sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate. REGULA.

§. I.

De observantia Regulae.

1 INSIGNIS Christi sectator, et fidelis Dei servus Beatus Franciscus, Ordinis nostri fundator inclitus, eam condens regulam, quae et coelestis disciplinae semitam parat ad vitam, et felicitatis aeternae aditum pandit ad gloriam, ex Evangelio, quod alte didicerat, Deo inspirante, vivendi normam accepit, ac sibi, suique instituti sectatoribus servandam proposuit. Vallis. 1593.

2 Hujus itaque regulae in sua puritate custodiam, ejusdemque seraphici instituti regularem disciplinam universus Ordo ubique sartam, tectam, atque illibatam retinere volens, et alias saepe protestatus est, et iterum sincere, et solemniter protestatur, se nullam admittere circa ullum regulae praeceptum dispensationem, vel apostolicam concessionem, per quam aliter ac in textu ejusdem regulae, et declarationibus Nicolai III, et Clementis V, quoad puram, et litteralem regulae observationem nobis vivere permittatur; iis omnibus, exemplo majorum nostrorum, ex animo renuntians, et cum effectu pro renuntiatis haberi volens. Tolet. 1606. Rom. 1612. 1628. Tolet. 1633. Rom. 1651. Vallis 1670. Victor. 1694. Rom. 1723.

3 Eapropter omnes, et singulos abusus, si qui vel ex Fratrum imbecillitate, vel ex malo, aut nobis omnino illicito privilegii alicujus usu, cujus virtute in quoquam regulae praecepto, aut aequipollente, aut vim praecepti habente cum Ordine, vel Conventu, vel Provincia dispensetur; vel ex temere antiquatis in aliqua provincia, vel conventu aliqua ex parte praefatis Nicolai, et Clementis constitutionibus irrepserunt, concorditer, et una voce Ordo ipse detestatur, damnat, rejicit, et proscribit, ac pro detestatis, damnatis, rejectis, et proscriptis haberi vult, solisque praedictis Nicolai, et Clementis declarationibus, posterioribusque Romanorum Pontificum eas confirmantibus constitutionibus nobis uti, et secundum eas in regulae nostrae observatione vivere licitum esse declarat, non autem secundum pravam aliquam etiam inveteratissimam consuetudinem, aut doctrinam, aut cujusvis generis privilegium, vel in substantialibus dispensationem. Victor 1694.

4 Praelati omnes purae nostrae regulae observationi omnino incumbant, juxta formam in statutis generalibus traditam. Guardiani in suo quisque conventu, sub poena privationis officii, vocisque activae, et passivae per triennium, Regulam, et ordinationes tam generales, quam Rom. 1676. Neap. c. 7.

provinciales habeant: et qualibet sexta feria ad communem mensam legi faciant regulam ipsam, et testamentum beatissimi Patris Francisci: bis autem in anno, videlicet mensibus Januarii, et Julii, sub poena privationis suorum officiorum, legi similiter faciant antedictas Nicolai, et Clementis declarationes vel, qua editae sunt, latina lingua, vel vernacula per extensum ad communem captum, et notitiam redditas. *(Victor. Sup.)*

(Victor Sup.) 5 Ministri Provinciales, et Commissarii Visitatores visitationis tempore de hujus decreti executione nominatim inquirant, et superiores locales, qui forte non obedierint, officio irremisibiliter privare teneantur: quod si essent cito completuri, voce activa, et passiva per triennium destituant.

(Rom. 1612. Tolet. 1633.) 6 Ad confovendam ejusdem regulae puram, nitidamque intelligentiam, ubique a Superioribus designetur, qui de ipsa semel in hebdomada lectionem ad Fratres habeat, sive eamdem ad normam dictarum Nicolai, et Clementis declarationum diligenter explanet.

(Innoc. XI Militantis, et solicitudo. Mant. 1762.) 7 Editae in eamdem rem a Venerabili Innocentio XI constitutiones exacte in omnibus serventur, sed in iis maxime, quae altissimam paupertatem respiciunt a Seraphico Patre suis filiis adeo commendatam; duplicatis contra transgressores poenis in proprietarios, et paupertatis violatores sancitis.

(Tolet. 1633. Valent. 1768.) 8 Pro firmiori ejusdem regulae, statutorum, et bonarum consuetudinum custodia, Provinciales Ministri, sub officiorum privatione, in omnibus capitulis, et congregationibus in pleno definitorio specialem, et accuratam consultationem, et tractatum habere debeant de extirpatione abusuum, si qui irrepserint, deque disciplinae regularis conservatione, ac promotione: ac de eisdem consultatione, et tractatu, factisque deliberationibus Superiores Generales certiores reddere teneantur.

9 Superiores locales, sub trimestri officiorum privatione omnino incurrenda, qualibet sexta feria, post lectionem regulae, Seraphici Patris benedictionem, cujus initium, *O dilectissimi Fratres*, et maledictionem, quae incipit, *A Te, Sanctissime Pater*, coenantibus Fratribus annuntiari faciant; quatenus benedictio eos ad regulae observationem inflammet, maledictio a praevaricatione deterreat. *(Tolet. Sup.)*

(Rom. 1676.) 10 Ad haec, ut Fratres, qui majorem spiritus fervorem, strictioremque regulae observationem optant, consequi id possint, quin eis hoc praetextu vel ad alias provincias transire, vel quidpiam in Ordine novare liceat, sint in qualibet Provincia de Observantia tres, aut quatuor conventus recollectionis cum forma vivendi, quae subinde dabitur; qui simul et loca spiritualis quietis, et perfectionis seminaria pro tota Provincia esse valeant.

R e g u l a.

Frater Franciscus promittit obedientiam, et reverentiam Domino Papae Honorio, et cet., et alii Fratres teneantur Fratri Francisco, et ejus Successoribus obedire.

§. II.

De obedientia Summo Pontifici, Ecclesiae Praelatis, ac Generalibus Ordinis Superioribus debita.

11 Obedientiam, quam Beatus Pater Franciscus mysteriis coelestibus didicerat, Romano Pontifici, Christi Summo in terris Vicario exhibuit ipse, et ab omnibus sui Ordinis alumnis exhibendam docuit, ac praecepit. Fratres itaque omnes, ut dignum, et justum est, Sanctissimo Domino Papae, ac Sacrosanctae Sedi Apostolicae humilem reverentiam, summum honorem, ac firmissimam obedientiam, et fidelitatem exhibere debeant. Vallis 1593. Tolet. 1633.

12 Si quis vero, quod absit, ore blasphemo aut impudenter, aut minus reverenter de Persona Summi Pontificis, vel summa ejus dignitate, et majestate in terris suprema, vel de Apostolicis constitutionibus, decretis, aut sanctionibus loqui temere ausus fuerit, et de eo legittime constiterit, praeter alias a sacris canonibus taxatas poenas, semestri carcere, et gravius etiam Superiorum arbitratu omnino puniatur; ita ut juxta mensuram delicti sit plagarum modus. Ex eisdem.

13 Qui de S. R. E. Cardinalibus, et eorum dignitate, vel persona, in genere, vel in specie, et praesertim de Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Cardinali Protectore Nostro impudenter, vel temere locutus fuerit, trimestri carcere, vel gravius etiam pro gravitate delicti puniatur, superiorum arbitratu. Ex eisdem.

14 Eamdem, vel pro delicti gravitate graviorem poenam superiorum arbitrio subeat, qui oblocutus fuerit de Episcopis, et aliis Ecclesiarum Praelatis, ita ut populo scandalo sit. Ex eisdem.

15 Generali Ministro Sancti Patris Nostri Francisci legitimo successori eminentem, atque omnigenam obedientiam Fratres omnes ex regula debent: quibus idcirco paterne suademus, ut sibi in exemplum proponant eumdem Seraphicum Patrem in testamento suo proclamantem: *Firmiter volo obedire Generali Ministro, et ita volo esse captus in manibus suis, ut non possim ire, vel facere contra voluntatem suam, quia Dominus meus est*: atque ex hujusmodi perfecta subjectione, quidquid ille pro majori totius Ordinis bono, unitate, tranquillitate, ac puriori regulae nostrae observatione procuraverit, jusserit; alacriter, diligenterque, ut par est, exequantur. Tolet. Sup. Rom. 1688.

16 Si quis autem in aliquo praemissorum per se, vel per interpositam personam, directe, vel indirecte ausu temerario illi se opposuerit, vel quovis praetextu, aut colore quomodolibet contradixerit, seu Vallis. 1598. Tolet. Sup.

illi non obedierit, trimestri carceris poena, vel gravius puniatur, ejusdem arbitrio.

Ex eisdem. 17 Qui eum verbis injuriosis, vel irreverentibus publice affecerit, omni suffragii jure sexennio careat, et semestri carcere, vel gravius pro qualitate delicti puniatur.

Vallis Sup. Rom. 1688. 18 Qui autem praetextu, vel colore quaslibet vitandi temporales vexationes, et tuendi quaecumque jura, aut animo fovendi aliquam politicam, et mundanam praeeminentiam, seu exemptionem, vel ob alium quemcumque respectum virum religiosum non decentem, et ex vi constitutionum Ordinis, et Sanctae Sedis illicitum, temere Ministrum Generalem non recognoverit, et ab ejus obedientia apostataverit, seu adversus eum malitiosa conspiratione verbo, aut facto insurrexerit, sive ipsi rebellaverit; semestri similiter carcere puniatur, additis excommunicationis Summo Pontifici reservatae, privationis officiorum Ordinis, quae obtinuerit, inhabilitatis ad ea ipsa, et alia quaecumque Ordinis officia, privationisque vocis activae, et passivae eo ipso incurrendis poenis; quin ab eisdem absolutus haberi unquam possit, nisi prius debitam obedientiam, seu satisfactionem praestare curaverit. Quod si notoria, et scandalosa contumacia sub vinculo memoratae excommunicationis permanserit, eo modo, quo jus canonicum praescribit, ab aliis Fratribus tractari possit, et debeat. Haec autem omnia de similiter peccantibus in Vicarium, et Commissarium Generalem dicta esse volumus.

REGULA.

CAPUT II.

Si qui voluerint hanc vitam accipere, et venerint ad Fratres nostros, mittant eos ad suos Ministros Provinciales, etc. Ministri vero diligenter examinent eos, etc. Postea concedant eis pannos probationis etc:

§. I.

De Novitiorum receptione.

Salm. c. 2. Vallis. 1565 et 1593. Rom. 1612. Tolet. 1682. 19 Ut diligens illa perquisitio, quam pro Novitiis recipiendis tum Regula ipsa, et rei gravitas, tum etiam constitutiones generales, et Apostolicae requirunt, omni studio impleatur; quod primum est, futurum eorum examen indici, et in singulis Provinciae conventibus publicari debeat.

Sixtus V *Cum de omnibus.* Clem. VIII. *Cum ad regularem.* Innocent. X. *Ad propagandam.* Paulus IV. *Cum ex Apostolatus.* Greg XIII. *Consuevit.* Vallis Rom. Tolet. Sup. 20 Examinandi autem sunt de fide, aetate, vita, et moribus, corporis habitudine, impulsu spiritus: an legitimi sint, honestis parentibus nati, conditione liberi, debitis expediti, reddendis rationibus non obnoxii, non criminosi, nulla vulgari infamia notati.

21 Qui ab Hebraeis, Mauris, aut Haereticis, quorum corpora, vel statuae combustae sunt, descendunt, vel originem trahunt, ad quartam usque generationem recipi prohibentur.

22 Neque admitti debent, quorum patres, matres, aut sorores

sufficientem bonorum substantiam non habent, qua sine ipsis vivere, et sustentari possint. Neque qui corpore affecti sunt, vel aliqua ex parte vitiati.

Clem. Sup. Tolet. Sup. Rom. 1587.

23 Ad Clericatum admittendi sufficientem habeant litterarum scientiam, et latinam saltem linguam perfecte intelligant: decimosexto aetatis anno majores sint, confirmationisque Sacramento insigniti.

Clem. Innoc. Salm. Vallis. sup. Neap. c. 18. Vallis. 1565.

24 Haec diligentia, sive inquisitio per Provinciales Ministros, et Definitores capitulari, vel alio quocumque tempore congregatos fieri debeat. Quod si loco, et tempore pro receptione designato Definitorem aliquem abesse contigerit, fiat, etiam inter Reformatos, substitutio dignioris, prout in simili absentia in electionibus, aliisque rebus fieri solet, et debet.

Rom. Sup. Tolet. 1633. 1682. Vallis. Rom. Sup. Tolet. 1682. S. Cong. 1634. Innoc. X. Sup. Clement. XII. *Exponi nobis.*

25 In Congressu primum omni adhibita accuratione perlustrandae sunt testium fide dignorum authenticae depositiones de omnibus praenotatis ab iis afferendae, qui admitti petunt: tum eorum quilibet super iisdem articulis interrogari debet, non perfunctorie, sed omnino diligenter. Demum secreto ferenda suffragia, ac nemo nisi per majorem illorum partem censebitur admissus.

Innocent. et Tolet. Sup.

26 In Italia examen ipsum scripto fideliter exaratum, cujusque Examinatoris manu propria subscriptum, ac juramento firmatum, obsignatumque transmitti debet ad Superiorem Generalem, qui aliquibus Patribus gravioribus consultis, illud per partes singulas accurate expendet; atque etiam per litteras familiares a Patribus Provinciae antiquioribus, ac zelum Dei habentibus, de examine ipso, et examinatis secreto inquiret. Quibus peractis, ex omnibus, ut supra approbatis, intra numerum Novitiorum Provinciae, cujus interest, respective concessum, praeeligat meliores, habita praesertim ratione indolis, morum, fervoris spiritus, acuminis ingenii, et conditionis natalium: Sicque praelectorum nomina mittat ad Ministrum Provincialem; qui (praevia utique Sacrae Congregationis super admittendorum numero expressa licentia) tunc demum, et non prius eosdem praeelectos ad habitum probationis suscipit, et eos tantum.

Innoc. X Sup. — Innocent. X. *Inter cetera.*

27 Quia vero Superioribus locorum ut plurimum facultas sit, ut saeculares antea probatos ad habitum, expletoque novitiatu ad professionem admittant; haec ipsa facultas semper de scripto detur, omnibus, et singulis sufficienter explicatis, quae ex regula, et ex apostolicis, et Ordinis constitutionibus servanda sunt. Ipsi autem Superiores, si quam ex conditionibus supra positis, et necessario requisitis eisdem deesse repererint, aut eos, ut supra cautum est, inhabiles esse constiterit, illis habitum denegare possint, ac debeant, Provinciali antea desuper admonito.

Vallis. 1593.

28 Priusquam ad habitum recipiantur, singulis protestatio fiet, quod si lepra, morbo gallico, vel caduco, aut alia contagiosa infirmitate laboraverint, et ante professionem idipsum celaverint, eorum receptio, ac etiam professio nulla censeatur: quodque si aliqua ex supradictis conditionibus eis defuerit, aut inhabiles extiterint, statim expel-

Salm. c. 2. Vallis. Sup. Tolet. 1682.

*

lentur, et ad professionem nullatenus admittentur. Quae protestatio a Superioribus, et Discretis, una cum ipsis admittendis, manu propria snbscripta in libro ad hoc destinato notari debeat.

Tolet. Sup.

Vallis, 1593.

29 Haec autem omnia, quae de recipiendorum conditionibus, et examine, de licentia superioribus locorum concedi solita, deque protestationibus praemittendis, et describendis sancita sunt, sub poena privationis officiorum ipso facto, et irremisibiliter incurrenda, Superiores tum Locales, tum Provinciales omnino exequantur, et exequi respective faciant, alias item poenas constitutionibus apostolicis imposítas pro modo culpae subituri, si contra easdem constitutiones hoc in genere deliquerint.

Innoc. XI. *Solicitudo.*

30 Nullus ad habitum recipiatur, nisi prius plene instructus sit de praeceptis regulae obligantibus in conscientia, et praevia hac notitia velit probationem snbire.

Salm. et Vallis. Sup. Neap. c. 18.

31 Nemo alibi, quam in ecclesia, ubi sanctissimum Christi Corpus asservatur, ad habitum, vel professionem admitti possit, nisi necessariam ob causam Generali, aut Provinciali antea probatam. Ubivis autem fieri contigerit, id omnino fiat eo caeremoniarum genere, qnod actionem hanc piam esse, ac religiosam protestetur. Quare indumenta singula singulis orationibus, ac benedictionibus aptentur: et habitum suscipienti Sancti alicujus imponatur nomen, quo se studio pietatis ad ejus imitationem excitatum sentiat. Demum in induendis Novitiis, et ad professionem admittendis, sanctae conformitatis intuitu, forma in aliis statutorum collectionibus, atque etiam in Familiari Regularium edita ubique ab omnibus inviolate servari debeat.

Spec. Min. Paul. V. *Romanus Pontifex.* Clem. IV. *Volentibus.* Sixt. IV. *Regimini.*

32 Curandum vero, ut Novitii sciant concessam sibi plenissimam peccatorum indulgentiam, qua die habitum suscipiunt, et professionem emittunt: sique opus fuerit, a Praelatis, vel eorum vicem gerentibus, auctoritate apostolica ab omnibus censuris, et poenis ecclesiasticis absolvi, et in irregularitatibus dispensari possunt.

Sixtus V. *Cum de omnibus.* Vallis. Sup.

33 Quo autem loco, ac tempore, a quo item quis Religionis habitum susceperit, memoria fiat in libro ad usum hujusmodi parato, et in archivio Conventus asservando, nomine, cognomine, patria, aetateque illius diligenter notatis, adhibita subscriptione Superioris loci, Novitii ejusdem ad habitum admissi, et antiquioris Discreti: deque his omnibns testimonium per litteras quamprimum ad Provincialem transmittatur, ut ejns mandato singula in libro ad id destinato describantur, in archivio una cum ipsis testimonii litteris perpetuo servanda.

Trid. Sess. 25. cap. 16. Salm. cap. 2. Vallis. 1563. Ex Clem. *Exivi* §. *Ceterum.*

34 Nemini liceat quidquam a Novitiis accipere: Si contra fiat, Praelatns officio privetur, alii Fratres proprietatis poena puniantur. Si vero ante, vel post susceptionem habitus, Novitiis, pro eorum pietate, et libera voluntate, aliquid Fratribus, Conventibusve legati, vel donationis nomine relinquere placuerit, et alias (si novitiatus tempore fecerint) servata sit forma, et solemnitas a Tridentino praescripta, admitti possit; sed nonnisi secuta professione liceat Procuratoribus apostolicis de rebus hujusmodi in utilitates Fratrum, vel Conventuum disponere, prout Superiorum judicio opportunius videbitur.

35 Quae hactenus generatim praescripta sunt, dempta peritia latinae linguae, omnia, et singula cum iis etiam servari debent, qui ad laicalem statum recipiuntur. Nullus item pro Laico admittatur citra vigesimum, vel ultra trigesimum aetatis annum; et qui aptus non sit ad labores utiles, et honestos statui nostro congruentes, nisi esset adeo notabilis persona, ut ejus receptio Clero, et Populo ad exemplum esset profutura. Qui aliter quempiam receperit, poenas supra in male recipientes sancitas subeat.

Vallis. Sup.
Clem. VIII. Sup.

36 Nullus ad servitium Religionis pro Tertiario admittatur, nisi viginti saltem annos natus, ac nisi praeter alias conditiones produxerit testimonia authentica, quod alibi non fuerit receptus, et a Religione culpa sua ejectus. Quique ad servitium unius Conventus, vel Provinciae destinati sunt, non admittantur ad servitium alterius absque obedientia, et facultate Provincialis, vel saltem testimonio Superioris localis, sub poena privationis officii contra facientibus, et expulsione ipsius admissi. Ut autem iidem Tertiarii religiose, ac pie educentur, mandatur eisdem Superioribus sub eadem poena, ut illis, saltem per triennium post eorum admissionem, assignent aliquem Patrem spiritualem, qui eos caeremoniis Ordinis, doctrina christiana, perfectionis vitae, bonique exempli praeceptis instruat. Nullus vero Tertiarius admittatur ad statum Clericorum, vel Laicorum, idque sine dispensatione a Ministris Provincialibus servetur.

Rom. 1612.
Tolet. 1682.
Rom. 1667.
Tolet. Sup.
Ibedem.
Rom. 1612.

§. II.

De locis Novitiatus, et Recollectionis.

37 Ad novitiorum institutionem studiose, recteque ineundam, et Majorum nostrorum legibus, et apostolicis decretis pie, prudenterque cautum est, ut Novitii in delectis quibusdam locis, et ad hunc finem aptioribus educentur. Horum itaque locorum Superiores praecipuam curam gerant; neque ad Novitiatum nisi in ejusmodi locis a Sede Apostolica designatis admittant. Qui contra fecerint, officiorum, vocisque activae, et passivae privatione, et ad hujusmodi obtinenda perpetua inhabilitate puniantur, reservata Sedi Apostolicae earumdem poenarum dispensatione: receptiones autem, et professiones nullae, et ad omnem effectum irritae sunt.

Salm. c. 2.
Neap. c. 18
Vallis. 1593.
Rom. 1600.
Clem. VIII. *Regularis disciplinae.*
Idem. *Sanctissimus Pater.*
S. Cong. Concil. 21 Sept. 1624.

38 Ut autem hac in re Novitiis nostris, atque etiam recens Professis multo magis consultum sit, in singulis provinciis de Observantia esse debeant conventus recollectionis, qui sint primi, et secundi novitiatus, ita ut in nullo, qui recollectionis non fuerit, Novitii probationis annum agere possint.

Rom. 1676.
Innocent. XI. *Militantis.*

39 Haec autem in eisdem conventibus statuitur vivendi forma. Primo. Officium divinum statutis indispensabiliter horis graviter, et devote persolvatur, et orationi mentali duabus horis cum dimidia omnino vacetur; ita ut post matutinum, quod indispensabiliter media nocte persol-

vendum est, una hora, post primam dimidia, post completorium hora altera in oratione mentali persistant. Sed a Resurrectione usque ad exaltationem Sanctae Crucis, propter noctium brevitatem, orationis hora post matutinum in horam ejusdem post sextam, et ante prandium habendam commutetur.

40 Secundo. Silentium, et lectio spiritualis in refectorio nulla causa dispensetur: in dormitoriis autem, claustris, et sacristia ita observetur, ut tantum omnino necessaria, et submissa voce Fratres loquantur.

41 Tertio. Saeculares, nisi Officiales Conventus sint, ad interiora conventus non admittantur; sed pro rebus necessariis cum ipsis tractandis in claustro inferiori camera aliqua honeste disponatur, in qua talia praestari possint.

42 Quarto. Communitates chori, et refectorii Fratres omnes sequantur; nec ullus ab aliqua, sine expressa Guardiani licentia, excusetur.

43 Quinto. Tribus diebus in hebdomada, nempe feria secunda, quarta, et Sabbato post vesperas immediate lectio regulae, aut theologiae mysticae habeatur, assistentibus Praelato, omnibusque Fratribus; ita ut duobus ex praedictis diebus exponatur regula, altera vero de theologia mystica, seu de vita spirituali tractetur. Ad hoc instituatur unus Lector in morali, ac mystica theologia versatus; cui, ut tempus pro lectionibus conficiendis habeat, conceditur, ut a Prima, et oratione post ipsam excusetur. Qui, expleta expositione regulae, poterit decalogum clare, ac breviter pro instructione juvenum explicare.

44 Sexto. Guardianus ad minus semel in mense feria sexta post completorium celebrabit Capitulum culparum eo modo, quo in constitutionibus generalibus praescribitur, habita ad Fratres spirituali collocutione, qua ad perfectionem, et spiritualem profectum animentur, et excitentur.

45 Septimo. Paupertas nostri status, quantum fieri potest, stricte in communi observetur. Et, ut in particulari etiam ita fiat, Guardiani de omnibus necessariis ad usum strictum seraphicae paupertati congruum Fratribus provideant, ita ut, recursus particularium ad benefactores, aut amicos spirituales via omnino praecludatur, nullusque quidquam ad usum suum habeat sine expressa licentia Guardiani, qui usum rei, et suppellectilis non necessariae nulli concedat, aut permittat: quod ut exactius observetur; nullus quidquam ad proprium usum clausum habeat, et ad cujuscumque cellam semper aditus Superiori pateat. Et tam Novitiis, quam ceteris Religiosis usus duarum tunicarum talarium, quarum una erit cum capucio, et alia sine capucio, juxta regulae praescriptum concedatur; nec cuiquam permittatur, ut sudaria, aut alia quevis non concessa in regula, sub praetextu portationis solius habitus deferat.

46 Octavo. Nullus ibi Guardianus institui possit, qui per biennium immediate in aliquo dictorum Conventuum, vitam communem recollectionis sequens commoratus non fuerit.

47 Nono. Nullus Religiosus, cujuscumque sit qualitatis, ibi de familia

collocari, aut commorari possit, qui regulae praecepta observare nequeat, nempe jejunia, excalceationem, duarum tantum tunicarum usum, peditationem, chori die, noctuque, ceterarumque communitatum sequelam. Guardianus, ceterique omnes sine exceptione hebdomadam suo ordine faciant.

48 Decimo. In eisdem Conventibus nullus Frater criminosus, aut pro luenda poena collocari possit; nec quisquam a quocumque Praelato missus recipi debeat, nisi de consensu Guardiani, et majoris partis Discretorum admittendus judicetur.

49 Undecimo. Nullus Religiosus, cujuscumque qualitatis sit, possit recreationis, vel alterius cujuscumque negotii causa ad eosdem conventus divertere, nisi quis ad exercitia spiritualia per aliquot dies facienda, cum sequela omnium communitatum, et rigoris vitae recollectae admitti voluerit. Nec Provincialis Minister causa visitationis, vel alia eo accedens, possit, sub poena suspensionis sui officii per bimestre, saeculares, aut alios Fratres secum ferre, praeter Secretarium, et Socium: cui quidem Ministro plurimum in Domino commendatur, ut in dictis conventibus se ipsum praebeat exemplum bonorum operum, et regularis disciplinae.

50 Duodecimo. Discursus Fratrum extra conventum, quantum fieri possit, evitentur: et ut Fratres choro addicti extra non vagentur, statuitur, ut in quolibet dictorum conventuum, praeter officiales interiori gubernio necessarios, Fratres laici collocentur spirituales, et devoti, qui continuo extra conventum eleemosynas pro necessitatibus Fratrum opportunis temporibus petant; et in hoc Deo inserviant, dum alii divinis laudibus, orationi, vitaeque spiritualis quieti incumbunt. Fratribus autem choro addictis raro exeundi licentia detur; nec unquam nisi duo extra esse possint. Novitiis autem, et Clericis in nullo casu, nisi in communitate, exeundi licentia dari possit, sub poena privationis officii eam concedenti.

51 Ultimo. Quoad reliqua ad vitam monasticam spectantia, constitutiones generales exacte ab omnibus serventur, ut caeteris purae observantiae exemplo sint.

52 In nullo dictorum Conventuum studium facultatis litterariae collocandum est, aut permittendum. Annum tamen secundi novitiatus agentes Clerici grammaticis, aut rhetoricis institutionibus incumbere possint, ac debeant. Ibidem. Bened. XIII. 27. Mart. 1729.

53 Pro eo, quod dictum est collocari ibi non posse, qui praecepta regulae servare nequeunt, declaratur, infirmarias pro aegrotis brevi sanitatem recepturis recollectioni non repugnare; cum charitas erga infirmos sit opus maximae perfectionis, et a Seraphico Patre summopere commendatum: admittendos vero ibi non esse infirmos habituales, senes, et decrepitos, aut longo tempore ad convalescendum indigentes, qui utique aliis in locis opportune curandi erunt. Rom. 1683.

54 Caeterum ne horum Conventuum multiplicatio incommoda, ut alias, importet, omnino interdicitur, ne in qualibet Provincia plures, Rom. 1676.

quam quatuor, paucioresve, quam tres Recollectionis conventus esse possint, sublata facultate cuilibet Superiori Ordinis in hoc Statuto dispensandi: iidemque taliter Provinciae addicti sint, ut sine illis, utpote Novitiorum receptioni destinatis, provincia ipsa subsistere non possit.

Rom. Sup. 55 Quantum ad Reformatos, cum forma vivendi, ac regulam, et regularem disciplinam observandi in eorum statutis contenta satis arcta sit; solummodo praecipitur, ut in Conventibus novitiatus, et professorii (praeter institutiones Clementis VIII pro omnibus Regularibus editas, praeterque ordinata pro Reformatis ab Urbano VIII constit. incip. *Militantis Ecclesiae*, quae omnia omnino servanda sunt, sub poenis eisdem Apostolicis literis contentis) praedicta statuta, quod attinet ad strictiorem regulae observantiam, frequentiam chori, et mentalis orationis, atque assistentiam omnium communitatum die, noctuque omnino ab omnibus in dictis Conventibus ita observentur, ut nullus ob infirmitatem communem illam vitam sequi non valens collocari ibi possit, et qui in praedictorum observatione defecerit, amoveri debeat.

§. III.

De Novitiorum Magistris.

Clement VIII. *Cum ad regularem.* Salmant. c. 2. Vallis. 1565. Neap. c. 18. Vallis. 1598. Rom. 1612. Tolet. 1633. et 1682.

56 Ut Novitiorum institutioni, rei profecto gravissimae, omni diligentia, et pietate provisum sit, Magistri deligantur viri graves, pii, providi, et discreti, doctrina, vitaeque anteactae exemplo praestantes, orationi, et mortificationis operibus addicti, prudentia, charitateque referti, onnos quadraginta, vel saltem trigintaquinque nati, Guardianatus officio triennio saltem laudabiliter functi, et humaniorum literarum, cantusque ecclesiastici, quoad fieri potest, scientia periti.

Clem. Sup. 57 Magistro, si necesse fuerit, socius detur, doctrina, et moribus, quoad fieri potest, consimilis, trigesimo anno major, in his, quae ad Novitiatus regimen spectant, eidem Magistro immediate subjectus.

Clem. Sup. Vallis. 1593. 58 Eligantur ambo in Provinciali Capitulo, Patrum communi consilio, et consensu, triennio saltem onus hujusmodi subituri. Deficientibus autem extra tempus capitulare, per Provincialem Ministrum eodem Patrum consilio, et consensu consimiles subrogentur.

Clem. Salm. Neap. Vallis. Rom. Sup. Tolet. 1633. 59 Electi cogitent, quod, si officio, ut par est, fungentur, Ordinis saluti magna ex parte prospectum erit. Itaque numeris omnibus implere studeant. Novitiis doctrinam christianam, vocationis, qua digni facti sunt, praestantiam, regularis disciplinae, nostrique instituti nitidam cognitionem tradant. Regulae praeceptis secundum pontificias declarationes, praesertim Nicolai III, et Clem. V solerter imbuant. Sanctorum Patrum traditiones, et probatas religionis consuetudines, itemque aurea S. Bonaventurae documenta, ea maxime, quae libello de interiori homine, et speculo disciplinae continentur, frequenter ingerant. Saepe eos confiteri, et Eucharistiae Sacramentum sumere faciant: ad mentis, et corporis puritatem verbo, et exemplo inducant: in omnibus consuetis regularibus exercitiis eisdem diligenter assistant.

60 Domo non egrediantur, nisi urgenti aliqua, vel publica de causa, et vacationem habeant ab officiis, oneribusque omnibus, quae Novitiorum curam, et regimen impedire possint. Superiores omnem eis favorem, et patrocinium impendant.

Vallis 1593. Clem. Sup.

61 Qui magisterium Novitiorum sine legitima causa definitorio probata pertinaciter recusaverit, ad omnia Ordinis officia perpetuo inhabilis sit, suffragiorum jure careat, et tamquam inobediens puniatur. Qui vero libenter illud ipsum subierit, si triennio saltem cum laude gesserit, ad omnes Ordinis gradus, et officia promoveri possit. Si continuo sexennio, eorum praerogativis gaudeat, qui Provinciae definitores fuerunt.

Salm. c. 2. Vallis Sup. Vallis ib. Tolet. 1633.

62 In Reformatione, ubi vigent Lectores emeriti cum annexis privilegiis, qui Magistri novitiorum octo annis fuerint, praecedant habita ratione loci competentis custodibus vocalibus Capituli Generalis Hispaniensis, immediate post eos; ita vero, ut unus tantum, nempe antiquior in magisterio, id proemium obtineat, et absque jure subrogandi.

Tolel. 1682. Victor. 1694. Clem. XII. *Exponi nobis*.

§. IV.

De Novitiorum educatione.

63 In conventibus pro novitiatu designatis sit locus a parte, in qua degunt professi, segregatus, atque distinctus, caeterisque ad praescriptum decretorum Clementis VIII qualitatibus instructus, in quo cum Novitiis Magistri tantum commorentur, ut eorum institutioni incumbere facilius possint.

Vallis 1593. Clement. VIII. *Cum ad regularem.*

64 Ad eum locum nemini ullo unquam tempore quovis praetextu aditus pateat, praeterquam Magistro, ejusque socio, et conventus superiori, si quandoque ingrediendum sibi necessario existimaverit: quo tamen casu aliquem ex senioribus conventus comitem semper assumat.

Vallis et Clem. Sup.

65 Novitiatus clavis apud Magistrum semper asservetur, eique soli liceat ex gravi tantum causa ingressum illuc alicui permittere. Qui aliter ingredi ausus fuerit, poenas per Guardianum de consilio discretorum taxandas omnino subeat. Si Guardianus neglexerit, vel alias culpabilis in iis fuerit, ipse pro negligentiae modo, vel culpae ratione poenis afficiatur Provincialis arbitratu. Qui si et ipse in his deliquerit, poenas subeat Generalis arbitrio; quem pro sua pietate, et prudentia certo speramus haec omnino servari diligenter curaturum.

Clem. Sup. Vallis Sup.

66 Novitii professorum cellas nullatenus ingredi praesumant. Qui contra fecerit, coram Fratribus capitulariter congregatis per totum psalmum *Miserere* disciplinam sibi adhibeat positisque genibus, pane, et aqua jejunet; et publice, graviterque per Guardianum moneatur. Si secundo idipsum admiserit, ab Ordine expellatur.

Salm. c. 29. Vallis Sup.

67 Eamdem disciplinae, et jejunii poenam subeat professus, qui Novitium in suam cellam admiserit; moneaturque, ut supra. Quod si secundo fecerit, mox per Guardianum ad Provincialis praesentiam mit-

Vallis Sup.

4

tatur: Provincialis vero Novitiatus loco amovere, omnique suffragiorum jure privatum declarare debeat; graviter puniendus Generalis arbitrio, si neglexerit.

Salm. Vallis. Clem. Sup. 68 Statim atque Novitii ad habitum recepti, et in locum Novitiatus introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum confessionem totius anteactae vitae conscientiam discutiant, et expurgent.

Ex eisdem. 69 Nemini cum saecularibus quibusvis, etiam parentibus, ac item cum cujusvis Ordinis Religiosis, nisi necessariam ob causam Guardiano, et Magistro probatam, ac nisi eodem Magistro praesente loqui liceat. Qui Novitius in hoc deliquerit, et admonitus, idipsum commiserit, habitu exui possit, si Provinciali videbitur; alioquin ejusdem arbitrio graviter coerceatur.

Clem. Sup. 70 Migistro soli Novitiorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori etiam locali, si ita expedire jùdicaverit, per se, vel per alium ab eo designandum semel, aut bis in anno eorumdem confessiones excipere.

Salm. et Vallis. Sup. Rom. 1676. 71 Novitii, nisi pro publica processione, vel pro associatione cadaverum, sive ob aliam publicam, urgentemque causam, extra conventum nunquam egredi, aut mitti possint; nec vero illis ipsis de causis, nisi et Magister semper adsit, eosque associet.

Ex eisdem. 72 Novitiorum nemini permittatur studiis operam navare, sed quamdiu in probatione fuerint, divinum officium, et alia quaecumque suo statui ex praescripto convenientia diligenter addiscant, ac sanctae orationis, et pietatis studio vel maxime incumbant. Nec item ad Ordines quoscumque, etiam minores, neque ad sacras confessiones excipiendas, si sacerdotes fuerint, ullatenus admittantur.

Clem. Sup. 73 Novitiis laicis a clericorum novitiatu separatus ad dormiendum locus, quantum commode fieri poterit, assignari debeat: qui tamen, hoc non obstante, Novitiorum Magistro subditi sint, a quo non tantum circa corporalia obsequia probandi, et exercendi, verum etiam pro eorum capacitate, et commoditate de spiritualibus, praesertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt: ideoque ad capitula, et spirituales conciones, quae per Magistros Novitiis fieri solent, accersiri, et in ecclesia, nisi in suis officiis actu occupati fuerint, statutis horis convenire debeant.

Vallis Sup. 74 Si alicubi urgens necessitas coegerit, ut ad petendam eleemosynam eos etiam quandoque extra mitti oporteat, nonnisi cum religiosis aetate gravi, ac moribus, et vita probatis mittantur.

Ibidem. 75 Si etiam rationabili de causa contigerit Novitium ex uno ad alium novitiatum Provincialis jussu transferri, ab aliquo gravi, et probato Religioso semper associetur. Antequam vero transferatur, licet ad quartum mensem non pervenerit, Fratrum tamen suffragia, prout infra, recipiantur: ac de suffragiorum exitu et Provincialis ipse, et Guardianus loci, ad quem transfertur, opportune moneatur.

Salm. c. 2. 76 Superiores, et subditi Novitium quovis praetextu impedire non praesumant, quominus ad aliam Religionem, quam maluerit, transeat,

vel etiam ad saeculum revertatur. Neque praeterea quovis modo, ut profiteri velit, inducant; ut libere, et non coacte professio emittatur. Qui contra fecerit, superior officio privetur; alii quicumque suffragiorum jure careant superiorum arbitratu.

Regula.

Finito vero anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam semper, et regulam observare

§. V.

De Novitiorum Professione.

77 Quae de Novitiorum professione solemniter emittenda, et Sacra Tridentina Synodo, et sanctionibus apostolicis praescripta sunt, accurate ab omnibus, ad quos pertinet, servari debeant. Vallis. Sup. Trid. Sess. 25. c. 3 Sixt. V. Clement. VIII. Innoc. X. Sup.

78 Et quo exactius servetur, quod dicta Synodus hac de re statuit, decernimus probationis annum ita continuum esse debere, ut si Novitius quavis ex causa extra Ordinem sive cum habitu, sive absque illo exierit, et postea redierit, non computetur ei tempus, quo antea in probatione steterat, sed denuo probationis annum incipiat. Si vero sine rationabili causa exierit, ad religionis habitum admitti amplius non possit. Vallis Sup.

79 Item pro Novitio ad professionem admittendo quarto quoque mense a communitate Fratrum in conventu novitiatus actu de familia existentium secreta suffragia ferri debent. Suffragari vero nequeant sive Fratres alterius provinciae, quos legitima superiorum facultate ibidem de familia esse contigerit, sive ejusdem provinciae, qui non expleverint duos saltem annos professionis, duosque menses incolatus in eodem conventu; sive etiam ejusdem familiae, qui forte vel majori quadrimestris parte absentes fuerint, vel duobus mensibus suffragationem immediate praecedentibus non fuerint praesentes. Innoc. Sup. Vallis. Sup. Assis. 1753. Innoc. Sup. Vallis. Sup. Valent. 1768.

80 Si major pars Novitio suffragata non fuerit, omnino expelli debeat, neque liberum sit Ministro Provinciali illum retinere: et hoc tam prima, quam secunda, et tertia vice, quibus suffragia sumuntur. Si vero tertia pars ei defuerit, ejus receptio suspecta sit; ac propterea Provincialis desuper admoneri debet, qui omnibus bene perpensis, prout jura disponunt, secundum Deum providere curabit. Si autem laudabile testimonium suae conversionis habuerit, et ultra duas ex tribus partibus suffragiorum retulerit; de Generalis, vel Provincialis licentia, quae (ut supra cantum est) semper scripto detur, ad professionem admitti poterit. Novitius autem, qui semel a Religione ejectus fuerit, nec in ea ipsa, nec in alia provincia deinde recipiatur. Salm. Vallis. Sup. Innoc. Sup. Rom. 1679. Salm. Vallis. Sup. Valent. Sup. Rom. 1612.

81 Et quia anathema a Tridentina Synodo in eos latum, qui mulieres ad religionis ingressum coegerint, aut ab eodem sine justa causa quoquo modo impedierint, ii etiam, qui viros coegerint, vel impe- Vallis. Sup. Trid. Sess. 25. c. 18.

dierint, merito timere possunt; idcirco illud in primis et Superioribus, et Novitiorum Magistris, et aliis omnibus cavendum est, ne ullo modo suffragantes impediant, vel importune moveant, quominus libere de Novitiorum receptione suffragia ferant. Neque item Novitiorum quemquam aut quovis modo inducant, aut sine justa causa impediant, quominus libere professionem emittat. Contra facientibus poena sit illud ipsum anathema: ac praeterea Superiores officio priventur: alii quicumque omni suffragiorum jure septennio careant.

Salm. et Vallis Sup.

82 Novitius, qui profiteri cupit, abdicationem omnium rerum debet praemittere, nec licebit ei aliquid testamento, vel alio modo sibi reservare. Caveant autem Superiores, et subditi quicumque, ne quovis praetextu Novitium inducant, ut eis vel privato, vel communi conventus nomine testamento quidpiam relinquat. Contra facientes tamquam proprietarii puniantur, et Superiores officio priventur.

Neap. c. 18, Vallis Sup. Victor 1691.

83 Novitiis professionem emittere ne liceat, nisi doctrinae christianae rudimenta, regulam, et regulae praecepta, monitiones, libertates, Nicolai III, et Clementis V declarationes, antequam pro eorum professione ultimo communitatis vota exquirantur, sive latina, sive ad majorem facilitatem, et intelligentiam vernacula lingua, saltem summarie, compendiose, et quoad omnia puncta substantialia memoriter recitaverint: idque ut omnino fiat, superioribus conventuum pro Novitiatibus destinatorum per sanctam obedientiam, et sub actuum legitimorum, officiique privatione curare teneantur. Praeterea de Novitiis Clericis, quod recte divinum officium recitare, et per se ordinare noverint, examinatores ad hoc specialiter destinati, qui tres saltem semper esse debeant, sincere in Domino testentur. Qui aliter admiserit, officio privatus, etiam suffragiorum jure triennio careat. Magister super his negligens, ad omnia religionis officia perpetuo inhabilis sit. Provincialis, qui has poenas exequi neglexerit, aut alias in his deliquerit, suspendatur officio Superioris arbitratu.

Salm. et Vallis. Sup.

Vallis. Sup. Innocent. XI. *Sollicitudo.*

84 Nemo ad professionem admittitur, nisi prius examinatus de intellectu regulae, et praeceptorum ejus, diligenterque monitus, quam gravis ea res sit, et quam multa requirant tria illa religionis vota; et vinculi vim serio intelligat, quo se sancte, ac pie adstringi deliberat. Pridie, quo quis profiteri statuit, sacramentali confessione expietur, et mane sequentis diei Eucharistiae Sacramentum religiosissime sumat. Tum immediate ante professionem fiat ei protestatio coram tota Communitate, quod ad observantiam regulae, et omnium praeceptorum ejus professione obligatur; eamque protestationem admittat, et sub ea professionem faciat.

Innocent. X. et Innoc. XI. Sup.

Neap. in form. Vallis Sup. Clement. Sup. §. 1. n. 15.

85 Diei tandem, mensis, et anni, quibus facta est professio, nominis item, et patriae profitentis, et ad professionem admittentis memoria fiat in libro ad id destinato, cum eorumdem, et testium subscriptionibus; ac servatis omnibus, quae supra de receptione ad habitum ordinata sunt.

§. VI.

Da Juvenibus Professis.

86 Emissa professione Clerici in conventu recollectionis secundi Novitiatus ad minus per annum integrum collocentur, ut in spiritu in novitiatu concepto, antequam ad studia transeant, confirmentur, ac roborentur. Exeundi licentia, nisi in communitate, nunquam eis concedatur, sub poena privationis officii eam concedenti. Eodem tempore in regulae studio versari debeant; neque ad Logicae, et Philosophiae gymnasia promoveri possint, nisi prius in regulae intelligentia profecerint. Rom. 1676. Innocent. XI. *Militantis.* Tolet. 1658.

87 Eodem anno, et deinceps, quousque ad aetatem sacris Ordinibus suscipiendis sufficientem pervenerint, vel saltem per triennium post professionem, in professorio degant sub regulis, et modo vivendi adhuc strictiori, quam servent antiquiores Professi, sub directione, et regimine superioris eas habentis qualitates, quibus Magistrum novitiorum praeditum esse oportet. Vallis. 1593.

88 Magistri vero eos studiose, ac pie instituant, erudiant, doceant, ut supra, dum de Novitiis ageretur, dictum est; atque in primis curent, ut studiose contineantur in officio, in timore Dei, et in observatione omnium, quae Domino promiserunt, et ad regularem observantiam necessaria videntur, praecipue secundum summorum Pontificum, et Sanctorum Patrum declarationes; quas crebro eis perlegendas diligenter curent. Vallis. 1593.

89 Illud etiam inviolate servetur, ut, quousque ad Sacerdotium ascenderint, omnes sub alicujus Magistri ad id idonei, et per Capitulum, sive per Provincialem Ministrum electi cura semper esse debeant. Vallis. Sup.

§. VII.

De Clericorum Ordinatione.

90 Clerici ad Ordines promoveri nequeant, nisi primum a Guardiano, et Discretis loci, in quo de familia morantur, de integritate, et probatis moribus, deque pie praestito ordinis antea suscepti munere, vel, si nullo initiati fuerint, de religioso, et sedulo in Ecclesia ministerio scriptum, et authenticum habeant testimonium. Paris. 1579. Neap. c. 20. Vallis. 1593.

91 Postea per Patres ad id specialiter destinatos diligenti examine de doctrina, et idoneitate probentur. Quocirca in Provincialibus Capitulis Ministri, in sua quisque provincia, viros aliquos doctrinae praestantia, et sanctitate vitae insignes, communi Patrum consilio, et consensu delectos, in uno, pluribusve locis, prout opportunius videbitur, examinatores collocent, et in tabula capitulari describi faciant, sub poena Superiorum arbitrio negligentibus imponenda. Ejusmodi autem Examinatores, si fieri potest, quatuor, tresve, aut duo vel minimum simul collocentur. Ex eisdem. Clement. VIII. de ref.

Neap. et Vallis. Sup. 92 Inquirant autem de illorum vita, et moribus; de legitima aetate, de Confirmationis Sacramento; de Ordinibus, si quos antea susceperint, deque praestito eorum munere: an suscipiendi Ordinis naturam calleant? an cum aetate simul in doctrina creverint? an sint a Censuris liberi? an habiles corpore, et mente? de quibus omnibus, et singulis, si opus fuerit, scriptis testimoniis fide dignis eorum quisque doceat.

Ex eisdem. 93 Quibus actis, visis, lectis, auditis, et examinatis, doctrinae etiam periculum diligenti axamine faciant. Sique ad interrogationes recte responderint, nihilque canonicum obesse constiterit, approbationis testimonium duorum saltem Examinatorum propria manu signatum, quo de praedictis omnibus satis constet, eisdem detur.

Ex eisdem. 94 Hoc ipsum testimonium examinatus quisque ad Provincialem afferat in provinciali archivio perpetuo servandum. Provincialis autem pro sua prudentia, si videbitur, scriptum hujusmodi cum libro ad Novitios, ut supra, pertinente, et cum aliis scripturis opportune conferat; ac praeterea in librum alterum ad usum hujusmodi specialiter paratum singula referenda curet; ut nulla in posterum errandi occasio relicta sit, vel esse possit. Licentiam vero, aut dimissorias, quas vocant, litteras pro suspiciendis ordinibus sine praefato approbationis testimonio nemini det, sub poena Superiorum arbitrio taxanda, eique omnino subeunda.

Neap. Sup. Pius II. *Cum ex Sacrorum.* 95 Qui vero sine hujusmodi licentia, litterisve dimissoriis ad aliquem ordinem promotus fuerit, is ab executione suscepti muneris ex decreto Pii II suspensus, spe quoque futuri muneris decennio careat, ac praeterea gravius puniatur Superiorum arbitrio.

Vallis. Sup. Trid. Sess. 23. c. 11. et 13. 96 Ab Ordinibus arceantur, qui Confirmationis Sacramento muniti non fuerint. Neque a minorum Ordinum postremo ad Subdiaconatum, et a Subdiaconatu ad Diaconatum, atque a Diaconatu ad Presbyteratum, sine integri anni interstitio ascendere concedatur. Nec cuiquam ante biennium a professione ad Subdiaconatum licentia detur, nec pro Sacerdotio ante quinquennium, nisi in sacris fuerit quum probationis habitum suscepit. Provincialis contra faciens suspendatur, vel etiam destituatur officio Superioris arbitrio. Quod si aliquando necessitas id fieri postulet, de Superioris Generalis licentia fiat: tum vero qui Sacerdotio initiatus fuerit, pro tempore dispensato Clericorum officia exercere debeat.

Salm. et Vallis. Sup.

Rom. 1654. mitig.

Victor. 1694. 97 Clericum Reformatum in sexennio clericatus pro ascensu ad Sacerdotium Superiores non dispensent, nisi cum clausula: *Dummodo per tempus dispensatum ab eis, ad quos spectat, in exercitiis a Clericis praestari solitis detinearis.* Superiores locales, qui in hoc negligentes reperti fuerint, officio sint ipso facto suspensi Superioris arbitrio.

Vallis. Sup. 98 Promoti ab Episcopo promotore, vel saltem a Guardiano loci, ubi Ordinem susceperint, authenticum ad Provincialem deferant testimonium, sine quo a suscepti Ordinis exercitio suspensi maneant, quousque de veritate constet. Testimonium vero in certum librum Provincialis jussu referatur, atque in provinciali archivio perpetuo servetur.

99 Statuimus etiam, ut promovendi intra limites dioecesis, in qua de familia sunt, a proprio Episcopo ordinentur: eo autem absente, vel ordinationes non habente, causa hujusmodi in literis dimissoriis expressa, ad alium, dummodo intra fines provinciae, destinari possint.

Vallis. Sup. S. Congr. Conc. 15, Mart. 1596.

100 Nemo post susceptos Ordines eorum executioni se ingerat, quousque exactam sacrarum coeremoniarum, et eorum omnium, quae ad executionem hujusmodi pertinent, cognitionem studiose, ac diligenter comparaverit; tumque ex scripto Provincialis concessu, cui ea de re ab aliquo perito antea testatum sit.

Vallis. Sup. Tolet. 1633.

101 De laicatu ad clericatum nemini post emissam professionem, nisi de licentia Capituli, vel Ministri Generalis, praevia facultate Apostolica ascendere liceat. Promotus autem Religionis officia, et dignitates consequi non possit. Si quis autem sine legitima facultate Sacros Ordines susceperit, omni honore clericali, et Sacerdotali privetur; non permittatur canonicum persolvere officium; reducatur ad laicalem statum, et sine corona, et caputio in exercitiis humilitatis ad coquinam biennio destinetur: quo finito, restitui illi caputium possit, nullo autem modo ad coronam, aut exercitium Sacrorum Ordinum admittatur.

Salm. et Clement. VIII. Vallis. Sup. Tolet. 1606. Rom. 1615. Salm. 1618. Rom. 1639. Leo X. in Comp. privil. V. *Laici Fratres.*

§. VIII.

De transitu ad aliam Familiam, vel Provinciam.

102 Fratribus de familia Observantium ad Reformatos transitus non concedatur, nisi in Capitulo, vel Congregatione Provinciali de consensu utriusque Ministri Provincialis, vel Ministri Generalis: quique re ipsa transierint, annum a die receptionis computandum ad deliberandum habeant, an in eo statu remanere velint.

Urban. VIII. *Religiosos viros.* S. C. 14. Jun. 1620

103 Qui de familia Reformatorum ad Observantes migrare voluerint, in Capitulo, aut Congregatione Provinciali per consensum majoris partis Definitorii transeundi facultatem habeant; sicque transeuntes ab Observantibus rejici non possint.

Paul. V. *Postulat.* Urb. Sup.

104 Transire volentes, sive Observantes, sive Reformati, licet habeant Generalis Ministri licentiam, sub poena itinerantium cum obedientialibus Generalis sine scripto Provincialis consensu, obedientiales non exequantur, nisi habito in scriptis consensu Provincialis sui naturalis: qui tamen, nisi habeat legitimas causas coram Superiore Generali probandas, talem transitum, et pro eo consensum denegare non possit.

Rom. 1691.

105 Nemini in aliena Provincia incorporari liceat, nisi nativus ejusdem sit, nisi utriusque Provinciae consensum capitularem habeat, et nisi in ea, ad quam admitti cupit, biennio manserit. Sine his conditionibus, nullus Praelatis Generalibus inferior quempiam in aliena provincia incorporare possit; neque ad hunc effectum sufficiat auctoritas, quae Visitatoribus datur, quamvis in forma amplissima, et cum plenitudine potestatis.

Salm. c. 2. Neap. c. 28. Aquil. 1559. Vallis. 1593. Rom. 1603.

106 Incorporatus autem non a die habitus, sed a die incorpora-

Rom. 1626.

Ex Salm. 1618. Ultram. c. 4. tionis locum, et praecedentiam habeat: neque ad Ordinis officia, nisi completo incorporationis decennio, promoveri possit.

Rom. 1664. Salm. c. 2. 107 Qui in aliena incorporatus, ad provinciam, unde abierat, redire impetraverit, praecedentia non gaudeat, nisi a die novae receptionis; atque etiam pro sua levitate duobus mensibus probationis caputium deferat: secus esset, si de mandato Superiorum Generalium in commodum Ordinis, vel Provinciae, maximeque instantibus ejusdem Provinciae Patribus ad eam rediret.

REGULA.

Et nullo modo licebit eis de ista Religione exire etc.

§. IX.

De Apostatis.

Trid. Sess. 25. c. 4. Salm. c. 2. Vallis. 1593. 108 Quamvis ex Tridentino, nostrique Ordinis perpetuo usu probatis constitutionibus satis constet, Fratres qui sine legitima facultate, sive cum habitu, et socio, sive absque illis, etiam praetextu ad Superiores accedendi, de conventu recesserint, apostatas esse, et pro apostatis haberi: cum tamen sint in apostasia gradus, ob quos in levem, leviorem, et levissimam; gravem, graviorem, et gravissimam distingui potest; ut juxta mensuram delicti sit et plagarum modus, de his ipsis gradibus, eorumque poenis sequentia statuimus.

Vallis. Sup. 109 Qui e conventu egressus sine Superioris licentia expressa, vel tacita, per diem naturalem tantum extra moratus fuerit, quique praetextu ad Superiores accedendi, sine licentia egressus, recta coram Superiore se sistit, in levem apostasiam uterque incidit, cujus poena sit trium dierum carcer, et suffragiorum juris per triennium privatio; et, cui haec poena non convenit, pro quolibet privationis anno probationis caputium per mensem deferat.

Ibidem. 110 Qui cum licentia egressus, sine licentia, ac nulla urgente necessitate, extra, tametsi in altero sive nostri, sive alterius Ordinis conventu pernoctaverit, leviorem contrahit apostasiam; pro qua triduo in carcere includi, et biennio suffragiorum jure privari debet.

Ibidem. 111 Qui sine licentia expressa, vel tacita egrediens, eadem die revertitur, levissimae apostasiae reus est; ob quam per diem in carcere sit, et per annum voce activa, et passiva careat.

Ibidem. 112 Qui denuo, vel pluries simili modo deliquerit, duplicatis, pariterque aggravatis poenis puniri debet: sicque apostasia, quae alias ex suo genere levis esset, pro frequentiore incursu, vel apostatantis contumacia, gravioris, vel gravissimae poenis quandoque punietur.

Ididem. 113 Qui sine licentia egressus, etiam praetextu ad Superiorem accedendi, triduo extra permanserit, gravis aportasiae reus est; ob quam triduo in carcere sit, ac pane, et aqua jejunet, et suffragiorum jure

triennio careat. Secunda vice, eisdem duplicatis poenis, probationis insuper caputium per tres menses deferat. Si tertio relapsus fuerit, de graviori; si quarto, de gravissima puniatur.

114 Gravioris apostosiae fit reus, qui similiter egressus, diebus Ibidem.
octo extra obedientiam fuerit: isque tribus mensibus in carcere sit; quo tempore qualibet hebdomada coram Communitate tribus diebus pane, et aqua jejunet, sexta vero feria totum psalmum *Miserere* recitans, flagella disciplinae sibi adhibeat, humique flexis genibus panem et aquam sumat, ac suffragiorum jure sexennio destituatur. Relapsus, du- Vallis. 1565.
plicatis eisdem poenis, probationis caputium per annum deferat, atque ultimum in suo ordine, Sacerdotum videlicet, si Sacerdos, Clericorum, si Clericus, Laicorum, si Laicus, locum teneat; et utensilia lavet. Tertia vice, suffragiorum jure perpetuo careat; integro biennio proba- Vallis 1593.
tionis caputium deferat; singulis sextis feriis disciplinam faciat, positisque genibus in communitate jejunet; ultimum inter omnes locum teneat; utensilia lavet, et pro carceribus conventum habeat, ut vel sic conventui deserviat, nec unquam, nisi publicae processionis, vel utilitatis causa, egredi permittatur. Si adhuc pro sua nequitia in idipsum incidat, augeantur poenae, ita ut, si videbitur, ad ergastulum etiam mittatur.

115 Qui dimisso habitu digrediens, infra duos menses culpam Vallis. Sup.
suam coram Praelato non agnoscit, vel etiam habitu non dimisso ultra duos menses extra obedientiam manet, gravissimam committit apostasiam. Is vero tribus mensibus in carcere sit; triennio caparonem deferat; sextis feriis coram Fratrum communitate disciplinam subeat, flexisque genibus pane et aqua jejunet; decennio careat utraque voce; ultimum, ut supra, locum teneat, nec unquam, nisi ob publicam utilitatem e conventu exire possit: sique Clericus fuerit, ultra dictas Vallis. 1565.
poenas, non promoveatur ad sacros ordines. Secunda, et tertia vice, Vallis. 1593. Rom. 1612.
duplicentur, et augeantur poenae: sique quarto etiam reciderit, per triennium stricte detineatur; vel servatis apostolicis de ejectione decretis, ab Ordine pellatur.

116 Declaramus, quod et qui Superiorum concessu aliquo profici- Neap. c. 27.
scens, alio, vel alia via vadit, quam sibi per facultatem liceat, et qui Vallis. Sup.
tempus sibi ex facultate praescriptum excedit, in apostasiae notam incurrit levis, gravis, vel gravioris, prout plus, minusve Superioris judicio a recta declinaverit, aut praescriptum tempus sine urgenti necessitate Superioris judicio probata excesserit: ac item qui sine socio de loco ad locum proficiscitur, nisi justa de causa id sibi specialiter scripta facultate concessum sit, eamdem incurrit notam Superioris judicio librandam.

117 Ad haec omnes, et singulos Ordinis nostri apostatas, aucto- Innocent. IV.
ritate apostolica nobis ad id concessa, vi praesentis decreti excommu- *Ut apostatas.* Salm. c. 2.
nicamus, et anathematis vinculo innodamus: praecipimusque locorum Rom. 1575.
Superioribus, ut, aliquo ex suis apostasiam patrante, ad aliorum ter- Paris. 1579. Vallis. 1593.
rorem, et praeservationem, in refectione immediate sequente, et pri-

mi mensis sexta qualibet feria, Fratribus capitulariter congregatis, excommunicatum publicent, et denuntient: statimque Provincialem moneant; qui in libro ad hoc parato rem describi jubebit, ut constet de apostasiae duratione, et poena debita adhiberi possit.

Vallis Sup. Rom. 1575.

118 Dum vero quis e provincia apostataverit, Generalem, et Officialem Curiae Provincialis moneat. Quod si adversus eum alterius criminis sit suspicio, processum de illo formet in archivio servandum, ut contra eumdem, cum redierit, de jure procedi possit. Provincialis, qui neglexerit, officii privationem incurrat.

Salm. c. 2. Aquil. 1559. Paris. 1579. Vallis 1593. Rom. 1603. 1612. 1615. Vallis 1670. Salm. Sup. Rom. 1612. Salm. Sup.

119 Neque Provinciales in provinciis, neque locorum Superiores in conventibus apostatas retinere possint; sed ab apostasia solemniter absolutos, et per triduum in carcere detentos, cum litteris testimonialibus ad propria remittere debeant: quod si neglexerint, officio priventur. Eamdem poenam subeant, qui apostatas ad Generalem, ad Romanam Curiam, vel alio, quam ad propriam provinciam destinaverint, quique ad ordinationes miserint: et cui haec poena non competit, ut si jam suo functus sit officio, ad Generalis arbitrium alia condigna puniatur.

Salm. Sup. Vallis. 1593.

120 Si vero ad Generales Praelatos, vel ad Officiales Romanae Curiae apostatas accedere, et ab eis puniri contigerit, poena pro apostasia tantum censeatur inflicta: nam pro aliis delictis, quae forte commiserint, ad proprios Praelatos, qui eorum demerita, et causas plenius norunt, remittendi sunt: nisi forte ab eisdem Generalibus de potestatis plenitudine rationabili de causa super iis etiam puniri contigerit.

Ex eisdem.

121 Ut apostatarum cognitio facilius haberi possit, nullus Frater recipiatur hospes, nisi obedientiales litteras Superiori locali ostendat. Excipimus Patres graves, de quibus dubitari non possit. Superior, qui secus fecerit, officio privetur Provincialis arbitrio.

Neap. c. 29. Vallis Sup.

122 Apostatae omnes, cum ad obedientiam redierint, in communitate solemniter absolvantur, modo, et forma alibi tradenda. Qui id facere neglexerit privatione officii puniatur, vel etiam gravius Superioris arbitratu. Apostata vero, qui debitas poenas subire detrectet, per juris, et facti remedia coerceatur, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Vallis Sup.

Salm. et Vallis. Sup. Innocent. IV. *Ut apostatas.*

123 Declaramus Superiores quoscumque Provinciales, et locales facultatem ordinariam habere excommunicandi, capiendi, et carcerandi quoslibet Ordinis apostatas, qui ad eorum provincias, et loca diverterint: et in casu necessitatis alii etiam Fratres eos capiendi facultatem habeant. Videant imo praedicti Superiores, ne eos vagari permittant, sed, prout magis expedire videbitur, capi diligenter curent; et, ad amputandam hoc in genere delinquendi licentiam, quae contra eos statuta sunt, sub poena privationis officiorum ipso facto incurrenda, omnino exequantur, et inviolate exequi faciant; ipsique apostatae citra omnem dispensationem severissime puniantur.

Vallis. Sup. Rom. 1603. et 1612.

Rom. 1615.

124 Nullus apostata, sive in propria remanens provincia, sive ad alienam transiens, ad aliquod officium promoveri possit, nisi annis decem post apostasiam laudabiliter, et religiose vixerit.

REGULA.

Et illi, qui jam promiserunt obedientiam, habeant unam tunicam cum caputio, et aliam sine caputio, qui voluerint habere. Et qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta. Et Fratres omnes vestimentis vilibus induantur etc.

§. X.

De Vestimentis.

125 Satis ex Regula, ejusque pontificiis declarationibus constat omnes, et singulos Ordinis nostri Professores teneri ad humilitatem vestium, et ad non utendum pluribus vestimentis, quam una tunica cum caputio, et alia, qui habere voluerint, sine caputio, chorda, et femoralibus: quodlibet vero aliud vestimenti genus (excepto mantello ab initio Ordinis licito) ut indusia, sudariola, tunicellas, et similia, esse contra regulam, nisi adsit vera necessitas, excusans a praecepto, per Praelatum approbata.

Nicol. III. *Exiit.* Clem. V. *Exivi.* Urb. VIII. *Sacrosanctum.* Innocent. XI. *Sollicitudo.* Rom. 1812. Victor. 1694.

126 Vestimentorum vilitas in pretio pariter, et colore semper est attendenda: asperitas item, et paupertas continuo in eis relucere debet. Sed ne hac in re vel in dexteram superstitiosae singularitatis, vel in sinistram vanae curiositatis declinare contingat; omnes taliter indui praecipimus, ut neque de curiositate argui, neque de superstitione notari possint, sed uniformitas vestium conformitatem indicet animorum; ita quidem, ut et panni vilitas stricte servetur, et monstruosae repetiationis deformitas prudenter evitetur.

Salm. c. 2. Vallis 1565. Rom. 1600. 1612.

127 Ad majorem autem conformitatem inter nos sancte retinendam statuimus, ut caputii latitudo conum juncturae humerorum non excedat, neque a parte posteriori longitudo ejus cingulum trascendat: formae rotundae sit, non affixum mantello, non simplicem pannum habens, sed instar diploidis duplicatum.

Salm. c. 2. Neap. c. 9. Rom. 1612.

128 Habitus longitudo talis sit, quod fratris illum deferentis mensuram non superet: latitudo palmis decem et octo major non sit, nec minor quindecim: longitudo manicarum extremam manuum juncturam cooperiat, nec ultra protendatur: latitudo circa manum paulo plus minusve palmo uno sit. Mantellum non sit rugatum, vel crispatum, et ipso habitu saltem palmo uno brevius sit.

Salm. et Neap. Sup. Vallis 1593. Rom. Sup.

129 Qui in praedictis secus fecerit, Provincialis arbitrio reformetur, et omnium suffragiorum jure triennio careat. Provinciales autem, sub officii privatione, haec omnia primum ipsi servent, et ab omnibus aliis servari curent, omnino soliciti, ne in Fratrum vestitu vanitatis, aut novitatis indicia ulla permittant.

Vallis. Sup.

130 Ut vero nullus sit excusationi locus, in omnibus communitatibus, in quibus Fratrum vestimenta confici solent, tabella, qua forma habitus, capucii, et mantelli, ut supra, exprimatur, vulgari sermone

Neap. c. 9.

confecta, loco aperto, et conspicuo perpetuo appensa maneat, a Provincialibus primum, tum ab aliis omnibus omnino servanda.

Vallis Sup. Rom. 1639. Victor. 1694. 131 Ejusdem vestimentorum uniformitatis, honestatisque causa indicuntur statuta omnia, quae ad lanificii in qualibet Provincia erectionem, et conservationem pertinent: ac praecipitur, ne pannos fabricari permittatur, qui non sint vere cordellati, et pauperes, ac in tali grossitie, ut indifferenter quovis anni tempore inservire possint, quique judicio peritorum veri panni nostrates non censeantur; sub poena privationis officii Provincialibus, et earumdem officinarum Praefectis aliter permittentibus, aut tollerantibus, et non cogentibus Fratres, ut communibus, et ad praescriptam normam intextis pannis vestiantur.

Victor Sup. 132 Panni itaque fiant omnino in colore, qualitate, cordellatura, et grossitie aequales, intexti ex lana alba, et nigra, in tali portione peritorum judicio commiscenda, ut pannus cinericius evadat. Omnino vero praeter lanam albam, et nigram, vel ad summum subrufam, ubi pro qualitate regionis terrei coloris lana uti necessarium fuerit, cujusvis alterius coloris, et praecipue caerulei, aut alias quomodolibet artificialis lanam in iis adhiberi, aut superandi vetatur, sub poena privationis actuum legitimorum Praelatis permittentibus, et subditis tales indecentes pannos, nobisque penitus improprios deferentibus.

Ibidem. 133 Praelati vero Generales, et Commissarii ab eis ad visitandas Provincias missi, teneantur in decursu visitationis recognoscere lanificia, et pannos, qui in illis fabricantur, atque delatorum a Patribus, et Fratribus indumentorum qualitatem attendere, ut vel sic ipsis clare constet, an praecise Fratres communi panno cordellato, et paupere, et juxta regionis morem nostrate, et in convenienti grossitie utantur; et an aliis, quam talibus pannis pro habitibus, et mantellis fabricandis (permissis ad interiores tunicas subtilioribus, et minus asperis) lanificii officiales insistant. Sicubi autem Ordinis mentem compererint defraudatam, statutique hujus transgressionem irrepere, aut invalescere dicti Commissarii cognoverint, contra Provinciae Praelatos, et lanificii Praefectos ad supradictarum executionem poenarum procedere teneantur, omni, saltem quoad suspensivum, appellatione postposita: et de omnibus, quae circa praemissa occurrerint, Superiores Generales certiores reddant.

Ibidem. 134 In capitulis autem generalibus, et provincialibus inter caetera syndicationis puncta, Superiores tam Generales quam Provinciales respective super hoc articulo a se in viridi observantia conservari procurato, vel (quod absit) neglecto ex professo syndicentur; et exprese, non autem per clausulas generales, rationem reddere teneantur.

Ibidem. 135 Si qua vero Provincia, externa aliqua causa prohibente, et Praelatis Generalibus Provincialis, et definitorii jurato testimonio cum verificatione insuperabilis causae legitime significata, constitionibus de lanificii erectione alias editis parere neque hactenus potuerit, neque in praesens possit; e vicinori Ordinis Provincia pannos fabricante, sub poenis in eisdem constitutionibus taxatis Praelatus, cui secundum Pro-

vinciarum consuetudinem cura vestiendorum Fratrum incumbat, decentes, atque, ut supra, contextos pannos nostrates exigere, et Fratribus suis distribuere teneatur.

136 Quod si hoc ipsum, pro impedimentis Generali Praelato probatis, abtentu sit impossibile, mercatoribus, e quorum officinis panni pro vestiendis Fratribus coemuntur, praesentis decreti tenorem, sub praefatis poenis, Provinciales, et Guardiani intimare teneantur; et quibuslibet exquisitis remediis eos inducere satagant ad pannos omnino juxta hanc normam fabricandos; monitis etiam Superioribus Generalibus de difficultate, si quam ad id non implendum mercatores praetendant, ut eam sua prudentia, et zelo, interpellata cujusvis Potestatis opera, vincere possint. Ibidem.

137 Quae omnia ut cum effectu in provinciis praestentur, omnes, et singuli Superiores, et Subditi, cujuscumque qualitatis, et conditionis, pannis hic praescriptis indui teneantur: alias Superiores officiis, quae obtinent, immediate priventur; Subditi voce activa, et passiva triennio careant; et quibus haec poena non competit, carcere puniantur Superiorum arbitrio. Item in provinciis lanificium habentibus, nonnisi de panno ibidem fabricato indui possint; et aliter induti inhabiles ad officia, et dignitates provinciae indispensabiliter censeantur. Neque vero praetextu eleemosynae sibi ab aliquo elargitae quisquam in particulari vestiri possit, sed eleemosynam ipsam Procuratori apostolico conventus de scitu Guardiani tradendam curet, ut de panno communi communiter cum aliis vestiatur. Guardianus autem, sub poena privationis officii ipso facto, vocisque activae, et passivae in perpetuum, nullo modo denarios, vel quidpiam aliud indumenti nomine sibi subditis tribuere audeat, sed omnino indumentum ipsum ex communi panno subministret. Ibidem. Rom. 1639. Neap. c. 9. Rom. 1612. Rom. Sup. Salm. 1618.

138 Qui lanificii curam habent, sub privatione officii, in quolibet capitulo, et congregatione rationem reddant factae administrationis, et libros computuum exhibeant, ut de eorum fidelitate Definitorio constet: idque ut exactius, et cum debita diligentia fiat, cum Ministro Provinciali, et Definitorio intervenire debeant praecise ad hunc effectum Ex-Ministri Provinciales. Rom. 1679. Rom. 1688.

139 Non permittant Ministri, ut quis plures tunicas, quam duas habeat, unam cum caputio, et alteram sine caputio; idque in visitationibus diligenter curent: quando autem pro conditione temporum, locorum, et personarum dispensandum videbitur, ut quis plures quam duas habeat, licentia scripto detur, expressa necessitate. Rom. 1603. 1612. 1625. Rom. 1612.

140 Qui novo induuntur vestimento, omnino, nemine excepto, sub poena privationis utriusque vocis, vetus communitati reddant: pro cujus statuti omnimoda executione, decernitur ipso facto privandos esse Superiores locales, et Provinciales, si secus permiserint, vel taxatas poenas non exegerint. Rom. 1603. 1612. Tolet. 1682.

141 Omnes tam subditos, quam Praelatos monemus, ut habitus, vel tunicas, quando opus fuerit, resarcire, vel repetiare non negligant; Rom. 1688.

nec statim ac aliqua ex parte disruptos viderint, novis indui curent: si enim pauperes, et mendici sumus, assutis vestibus mendicorum statui conformari non gravemur.

Rom. Sup. 142 Fratribus studentibus in aliena provincia, et Fratribus in alienam provinciam relegatis, vel in poenitentiam detentis nativae provinciae provideant, et transmittant vestimentum in propria specie, sicuti aliis in propria degentibus distribuitur, sub poena suspensionis ab officio per trimestre ipso facto incurrenda, Superioribus Provincialibus aliter facientibus, vel ab inviolabili hujus statuti executione eximi attentantibus, et aliis poenis Superiorum Generalium arbitrio infligendis: rogaturque Superiorum Generalium solicitudo, ut renuentibus taxatas poenas irremisibiliter infligant: et infirmantur, abroganturque quaecumque in contrarium consuetudines etiam provinciarum.

Valenl. 1768. 143 Fratres degentes in conventibus, qui Recessus dicuntur, sive propriae, sive alienae provinciae sint, omnes pariter ab eorumdem conventuum Superioribus, prout de victu, de vestitu etiam provideri debeant.

Vallis 1593. Victor. 1694. Vallis. Sup. Salm. c. 2. Vallis. Sup. Rom. 1688. 144 Cum inter cetera, quae ad vestimenti rationem pertinent, cingulum etiam, et femoralia Fratribus necessaria sint, de his ipsis locorum Superiores eisdem omnino providere teneantur. Porro femoralia non rugata, vel crispa, sed omnino simplicia, et juxta veterem, et probatam Religionis consuetudinem fiant. Cingulum vero chorda sit ex canapacea materia, rudis, et simplex, omnique curiositate carens, ut non solum castitatis signum sit, sed etiam paupertatis, et vilitatis indicium. Aliter factae tam chordae, quam brachae prohibentur. Qui prohibitas chordas portare ausus fuerit, ut inobediens, et paupertatis, honestatisque inimicus puniatur.

Victor. 1694. 145 Renovantur decreta in statutis Ordinis, et Bullis apostolicis alias edita super prohibitione camisiarum, et aliorum indecentium indumentorum absque manifesta necessitate, et licentia ibi praescripta; et injungitur omnimoda observantia constitutionis Innocenti XI *Solicitudo* circa hoc punctum praecise de non utendo pluribus vestimentis, quam illis, quae regula praescribit, exceptis casibus alias legitime permissis: pariterque renovantur, et quatenus opus sit, denuo intimantur poenae omnes tam contra deferentes prohibita, quam contra Superiores deferri tolerantes extra praedictos casus: praecipiturque per sanctam obedientiam Provincialibus, ac Visitatoribus, ut super hoc puncto specialiter, et exacte inquirant, et contra delinquentes, eosque non punientes, respectibus quibuscumque posthabitis procedant; et de inquisitione, atque executione hujusmodi Praelatum Generalem commonefaciant.

Rom. 1612. Salm. 1658. 146 Qui sine scripta Ministri licentia camisiis sive manicatis, sive truncatis, tunicellis, vel sudariis uti inventus fuerit, si sit Religiosus gravis, sit inhabilis ad officia Ordinis: ceteri poeniteant in pane, et aqua, et verbera sustineant. Secunda vice, poenam carceris; si assueverint, augeatur poena Provincialis arbitrio. Licentia vero non detur,

nisi propter gravem infirmitatem. Qui Ministri sine tali causa licentiam dederint, officiis priventur: eamdemque poenam subeant Guardiani, qui delinquentes non punierint. Is autem, cui verae necessitatis a medicis probatae, et a Praelatis examinatae causa praedictis uti permissum fuerit, cum sequi communitatem nequeat, nullo prorsus in Ordine, etiam Vicariatus, officio fungi possit.

Vallis. 1593.
Rom. 1612.
Innocent. XII. *Alias.*

147 Cum etiam, excluso quolibet alio cujuscumque materiae pedum operimento, Fratres cum sandaliis apertis, vel calepodiis incedere teneantur: primum haec ipsa omni prorsus vanitate, et curiositate careant: deinde, nisi cum simili, ut supra, licentia, et causa, caligis, calceis, ocreis, crepidis, similibus sub poenis, uti nunquam possint. In sacristiis vero, ad missas ter sancte celebrandas, et sacra munera reverenter obeunda, crepidae sint decentes, et opportunae.

Urb. VIII. *Sacrosanctum.*
Innocent. XI. *Solicitudo.*
Salm. Vallis. Tolet. Rom. Victor Sup.

148 Ut in nullo detrahatur caritati, quae veras patientibus necessitates debetur, Fratri camisiarum, aut calceamentorum necessitatem habendi Guardianus, habita Medici authentica fide, de illis, prout de vestimentis, providere teneatur; hac tamen adhibita conditione, quod de tali Fratre certiorem faciat Ministrum: Minister autem eumdem illorum numero adscribat, qui communem vitam servare nequeunt, ut liquido constet ad officia eligi posse.

Rom. 1603.

149 Linteamina quoque, et anaclynteria Fratribus habere non liceat. Conceduntur vero in locis, quae infirmariae et foresteriae dicuntur; et senibus etiam concedi posse permittitur.

Vallis. 1593.

150 Fratribus sine habitu, caputio, femoralibus, et chorda dormire non liceat, nisi aegrae valetudinis causa, tumque de medicorum consilio, et Superiorum venia. Qui contra fecerit, in communitate Fratrum humi, sine caputio, positis genibus, pane, et aqua jejunet.

Salm. cap. 3. Vallis Sup.

151 Omnino prohibentur galeri, seu pilei nigri coloris Ordini nostro indecentissimi: Praelatisque tam Provincialibus, quam Localibus mandatur, ut, si quis in suis conventibus, vel provinciis nigro utatur galero, illum omnino auferant, nec a quoquam talem deferri permittant. Qui detulerit, et vel ablationi restiterit, vel correctus in idem reinciderit, si Superior, officio suspendatur per semestre; si subditus fuerit, suffragiorum jure triennio careat; et cui haec poena non competit, probationis signum anno deferat. Si Tertiarius, habitu omnino privetur.

Victor. 1694.

152 Meminerint Fratres, bireti usum in loco publico, et patente Beato Patri Francisco fuisse maxime exosum. Quo itaque abstinere non graventur; ad fastum vero, et pompam omnino abstineant. Quod si ob honestam aliquam causam id sibi licere puteut, deferant talis materiae, et formae, quae habitus, et conditionis nostrae humilitati respondent. Laici vero, et Clerici, atque etiam Sacerdotes anno trigesimo minores deferre non audeant, nisi justae causae expressus Superiorum permissus accedat.

Ex Salm. c. 3. et Vallis. Sup.

153 Extraneas vestes, tametsi religiosas, etiam religionis specie, nemo induat. Neque habitus Ordinis saecularibus unquam dentur, nisi in mortis articulo, cum eisdem induti sepeliri voluerint.

Salm. et Vallis. Sup.

Neap. c. 30. 154 Nullo unquam tempore, etiam carnisprivii, etiam animi recreandi causa, vel quavis alia occasione, Religionis habitum Fratres exuant, saecularemve superinduant: nec vero choreas ducant, comoedias recitent, vana spectacula exhibeant, larvatas, vel obscoenas praesentationes faciant, aut haec ipsa vel maxime detestanda spectatum accedant, sub gravi suspensionis poena ipso facto incurrenda, aliisque gravioribus, Superiorum arbitratu.

§. XI.

De Tonsura.

Salm. c. 2. Neap. c. 11. Vallis. 1670. 155 Quia tonsura ad honestum Fratrum habitum, et mortificationem pertinet, omnes de quindena in quindenam in conventibus radantur. Qui ad saecularium tonstrinas accesserint, suffragiorum jure triennio careant. Quam poenam ii quoque subeant, qui caput, et occiput, non autem barbam sibi radi fecerint; nec non barbitonsores, qui eos sic redere ausi fuerint. Guardiani, qui sibi subditos vel non radi, vel aliter, quam praescriptum est, radi permiserint, officio priventur.

Neap. et Vallis. Sup. 156 Si quis adversae valetudinis causa, sine gravi sanitatis periculo radi non poterit, huic forficulis, sed ita profunde, ut rasus omnino videatur, tonderi liceat, ita quidem, ut nulla capitis, et barbae disparitas sit, vel appareat.

Ex eisdem. 157 Capitis corona ab auribus altior distet digito uno, vel dimissior non sit, nisi ad aures usque: latitudine tres digitos non excedat. Laicis circulus in rotundum ducatur ab auribus paululum supra. Qui Laicus contra fecerit, probationis caputium tribus mensibus deferat: secunda vice duplicetur poena. Quam Clerici etiam contra facientes subeant. Sacerdotes pro eorum qualitate puniantur, Provincialis arbitrio.

REGULA.

Caput III.

Clerici faciant divinum Officium secundum ordinem S. R. Ecclesiae.

§. I.

De divino Officio.

Rom. 1571. et 1612. Salm. 1618. Rom. 1625. 158 Divinum Officium ubique, et ab omnibus omnino fiat ad praescriptum Breviarii, Missalis, ac Ritualis, quae Summorum Pontificum auctoritate recognita, atque edita sunt: neque pietatis etiam obtentu novum aliquid introduci permittatur.

Vallis. 1593. 159 Conventualis Missa officio diei conveniens quotidie celebretur.

Ibidem. 160 Officium parvum B. M. Virginis illis ipsis diebus, quibus aut universae familiae, aut cujusvis Provinciae praescripto dicendum est, in choro recitetur.

161 Dominicis diebus, festisque aliis de praecepto, ubi sex vel minimum sunt Fratres, qui canendi usum habeant, Tertia, Missa, et Vesperae canentur.

Ibidem.

162 Cum Religio nostra, quae ab ipso exordio immunitatum Beatissimae Deiparae ab originali culpa invicto, ac felici labore propugnavit, eamdem gloriosissimam Virginem sub Immaculatae Conceptionis titulo sibi in singularem Patronam rite elegerit; ejusdem Sacratissimae Conceptionis festum ubique ea solemnitate fiat, qua insignes Patronos Ecclesia colit. Quolibet etiam Sabbati die non impedito in singulis conventibus Missa de Immaculata Conceptione cum cantu celebretur.

Tolet. 1645.

163 Ad divinas laudes in choro ter sancte canendas die, noctuque omnes ita conveniant, ut nullus omnino cujuscumque privilegii, vel Superioritatis, etiam Generalatus praetextu a servitio chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in officii sui munere occupatus fuerit. Cum Lectoribus autem, et Praedicatoribus iis tantum diebus, quibus eos legere, et praedicare contigerit, Superiores dispensare possint: idemque praestare valeant cum aegrotis, et studiorum causa legitime impeditis.

Tolet. 1633. Salm. c. 3. Rom. 1587. Neap. c. 1. Vallis. 1593. Rom. 1612. Salm. 1618. Tolet. 1633. Clem. VIII. *de Reform.*

164 Id etiam ex veteri instituto addendum, ut omnes omnino, etiam Ordinis, et Provinciarum Patres, nisi gravi senectute valetudinarii, aut legitime impediti sint, ad faciendam hebdomadam, aliasque ecclesiasticas functiones teneantur. Guardianus omnium primus suam hebdomadam inchoet. Qui contra fecerit, probrose e loco pellatur, et poenas in constitutione Urbana praescriptas subeat.

Rom. 1612. Urban. VIII. *Militantis.*

165 Sicubi propter aeris intemperiem, vel aliam causam Definitorio probatam Matutinum media nocte recitari non possit, summo mane recitetur: nullo autem tempore post completorium, nisi in triduo ante Pascha, et per octavam Sanctissimi Corporis Christi, atque (ubi fuerit consuetudo) per octavam item Immaculatae Conceptionis, et in festo Sanctissimi Nominis Jesu.

Vallis. 1593.

166 Qui legitime non impeditus matutino defuerit, prima vice, in proxima refectione flexis genibus, brachiisque extensis dicat quinquies *Pater et Ave*: secunda vice, addatur disciplina: tertia, insuper pane, et acqua jejunet: iterum negligens, etiam suffragiorum jure triennio careat, et gravius puniatur Provincialis arbitrio. Simili punitione afficiatur, qui aliis horis, et praesertim vespertinis non interfuerit. Superior localis, qui poenas non infliget, easdem ipse subeat, et Provincialis arbitrio officio privetur.

Salm. c. 3. Neap. c. 1. Vallis. 1593.

167 Si quis necessitate aliqua impeditus horis matutinis interesse nequeat, si quidem necessitas ad breve tempus duratura sit, de licentia Guardiani abesse possit: secus Ministro Provinciali innuet, a quo licentia in scriptis, et non aliter, obtenta, sit exemptus. Minister vero, nisi gravem ob causam, non concedat.

Rom. 1612.

§. II.

De Chori disciplina.

Vallis 1593. Rom. 1639. 168 Quae ad chori disciplinam, sacrosque ritus pertinentia continentur in caeremoniali libro ad usum nostrum Capituli Generalis auctoritate edito, magna quidem ex parte ex constitutionibus Ordinis derivata, sic ab omnibus, prout decet, serventur, ut quibus una est fides mentium, una sit pietas actionum.

Vallis. Sup. Tolet. 1633. 169 Videant etiam, ne ad chorum ituri ultimum campanae signum expectent, quod modicae pietatis indicium est; sed omnino ante horarum initia in choro sint, ad praeparanda corda sua Domino. Qui tardius accesserint, in recognitionem suae culpae Superiori genu flectant, si Sacerdotes: Clerici vero, et Laici stent flexis genibus, quousque a Praeside surgendi signum fiat.

Vallis. Sup. 170 Ingressi, ad locum accedentes, ubi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur, dimisso capite, positis genibus, facie, et mente ad Dei Sanctuarium conversa praecelsum illud Dominici Corporis Sacramentum fide pura, et oratione devota ter sancte colant.

Ibidem. 171 Surgentes, postquam dextro genu, et capite simul idem venerabile Sacramentum reveriti fuerint, conversi ad partem chori, ad quam illis accedendum est, humili capitis inclinatione Superiori reverentiam adhibeant: tum dimisso vultu, tamquam timoris casti, et sanctae reverentiae pleni, pergant ad locum suum, eos per nutum salutantes, per quorum sedilia transierint, a quibus ipsi quoque, juxta apostolicam christianae, et sacerdotalis modestiae formam, salutentur; amore, et honore, signo capitis, ac religioso nutu invicem praevenientes.

Ibidem. Tolet. 1633. 172 In choro omnes suo loco, et ordine se recipiant, neque huc, aut illuc, aut per aliorum subsellia vagentur. Nemo rideat, loquatur, nemo curiose circumspiciat, vel quovis modo rem divinam perturbet. Nemo privatim sibi officium recitet, ubi communi officio opera datur. Simul autem omnes pro tempore, et officii ratione stent, sedeant, surgant, omnia uniformiter agant, neque inter se vel minimum discrepent. Non sit alicui propria devotio magistra, sed consuetudo communis. Interius quidem, et in cubiculo alter alterum devotione superet, aemuletur in suspiriis, in humilitate, in gemitibus: sed exterius in choro sint omnes omnino pares, imo vero non pares; optamus enim ut non plures videantur, sed unus omnes.

Ex eisdem. 173 Sacrum ab omnibus silentium inviolate servetur. Taciti sint vultus, nutus, passus, ipsa quoque pectora tacita sint; et ne sibilus quidem ille, quo majores, addita majestate manus, silentium quandoque indicunt, nisi raro audiatur; isque nonnisi ex ore Praesidis, aut chori magistri ad continendos non minus in officio, quam in silentio Fratres.

Salm. c. 3. Neap. c. 1. Vallis. Sup. 174 Quo tempore divinum persolvitur officium, nemo egrediatur, nisi urgeat necessitas; tumque Superiori causa innui, ejusque licentia peti debeat.

175 Peractis officiis, ante ne surgant, quam a Superiore, vel Hebdomadario signum detur: tumque mutua charitatis significatione, non verbo, sed nutu, se invicem salutantes, eodem animo, eademque modestia, qua ingressi sunt, e choro discedant. Vallis Sup.

176 Pro Conventibus praesertim insignioribus instituatur in Provincialibus Capitulis Chori Vicarius, et Moderator, qui sit apprime eruditus, ac tantae rei vel maxime idoneus. Huic vero in his, quae ad chorum pertinent, morem gerent omnes: ipsi autem, quae officii sui sunt, qualia habentur in eo quem praediximus, caeremoniarum libro, quam diligentissime servanda erunt. Vallis Sup. Tolet. 1633.

177 Pro conventibus Sanctae Mariae de Aracoeli, et Sanctae Mariae de Portiuncula assumi possint a Superiore Generali chori Moderatores ex qualibet Familiae Provincia: iique integro sexennio, absque interpolatione Adventus, et Quadragesimae recte, ac laudabiliter officio functi, in sui laboris proemium gaudebunt privilegiis Patrum, qui ad definitorum classem per aggregationem admittuntur. Quod proemium sub eisdem conditionibus ad alios omnes extenditur, qui choro principalioris Conventus cujusque Provinciae decennio inservierint. Rom. 1664. Victor. 1694. Mediolan. 1729.

178 Ad praecavenda incommoda permulta decernitur, ut nullo quovis tempore, aut praetextu in ecclesiis nostris tam Fratrum, quam Monialium instrumenta musica, praeter organum, et illud, quod *regalum* vocant, in divinis officiis, et missis canendis adhiberi liceat, sub poena suspensionis Fratrum, et Monialium Superioribus, si contra fieri permiserint, ipso facto incurrenda. Frater autem, aut Monialis, quae contra fecerit, suffragiorum jure triennio careat: atque insuper Monialis velo privetur per mensem; Frater in carcerem detur Superiorum arbitratu. Sub eisdem poenis interdicitur cantus fractus, quem figuratum vocant. Neap. c. 22. Vallis Sup. Salm. c. 3. Neap. Sup. Rom. 1612.

§. III.

De Ecclesiarum nitore, et cultu.

179 Sanctarum ecclesiarum decori, et sanctitati prospicientes, decernimus, ut nemo in ecclesia dormiat, comedat, bibat, rideat, cursitet, uno verbo, quidquam agat, quod non deceat domum Dei. Neque sit, qui in ecclesiam pergat ad alloquendum mulieres sine speciali licentia Superioris localis, sub poena disciplinae in publica mensa, et exilii a conventu. Vallis 1593. Rom. 1613.

180 Quod si, dum divina celebrantur officia, vel sacrum fit, Sacristae, aut alteri Sacerdoti, Clerico item, aut Laico per ecclesiam necessario incedendum sit, graviter omnino, ac religiose fiat, neque illis cum ullo, ullave fabulari liceat. Vallis Sup.

181 Saecularibus, dum divina celebrantur officia, nunquam ad sacra chori adyta pateat accessus. Qui autem ignoranter ingressus fuerit, Ibidem.

monitus statim exeat : et interea quisque illi oraculo assuescere discat : *Ne appropies huc, quia Terra Sancta est.*

Ibidem. 182 Haec ipsa regula perpetuo servetur etiam de ipso Sacrario, ita ut, dum Missae celebrantur, dumque in eo Sacerdotes ad divina se praeparant, saeculares foris maneant, et procul arceantur. Res quidem indignitate plena, et a sacrorum majestate prorsus aliena, ut laici homines sacra Sacerdotum penetralia introspiciant, et arcana scrutentur.

Ibidem. 183 Saecularibus item, etiam pueris, adolescentulisve Sacerdoti rem divinam facienti, nisi summa necessitate, ministrare ne liceat, nisi clericali militiae adscripti sint; tumque veste talari, ac superpelliceo induti faciant. Tractent enim Sacra Sacri, ac profana profani.

Ibidem. 184 Ut Laici homines, et eo magis mulieres, praesertim Sacrificii tempore, procul ab altaribus arceantur, Sacrista diligenter curet : ne vero unquam eisdem inhaereant, omnino prohibeat. Si quis contumaciter obstiterit, Episcopo significet. Neminem vero per ecclesiam eleemosynam quaeritare permittat, sed extra fores ecclesiae, qui petunt, omnino maneant.

Pius V. *Cum Sacrorum.*

Vallis. Sup. 185 Videant etiam Sacristae, ut qualibet hebdomada bis in choro, semel autem in tota ecclesia non desint, qui scopas ferant, qui tergant, verrant, purgamenta educant, pavimenta expoliant, in singulis quibusque purgent omnia, etiam aranearum operas : in primis autem omnino efficiant, ut circa divinissimum Corporis Domini Sacramentum omnia nitida sint, fulgeant, coruscent; ut vel sic quasi muto eloquio, aut potius effatu angelico cunctis reverenter innuant : *Hic Deum adora.*

Ibidem. 186 Quaecumque vero de ecclesiis, cappellis, altaribus, de sacris vestibus, vasis, libris, de universa ecclesiastica supellectili, caeterisque omnibus ad rem divinam quovis modo pertinentibus, auctoritate Visitationis Apostolicae, aut alias sancte decreta fuerint, ut, quoad fieri potest, et per facultates licuerit, executionem habeant, Provinciales Ministri, et Visitatores diligenter curent.

S.C. 14. Mart. 1680. et 19. Sept. 1710. Innoc. XI. *Alias ad supplicat.* 187 Spectabilis cultus, et ornatus ecclesiarum nostrarum conservandi causa, prohibentur Superiores, et Subditi, sub poena privationis officiorum Ordinis immediate incurrenda, ne ullo tempore, quavis occasione, vel praetextu, ad instantiam, et preces cujusvis indulgeant, aut consentiant, supellectiles, vasa, ornamenta, vestes, atque omnis generis res spectantes aliquo modo ad praefatas ecclesias, cappellas, altaria, oratoria, sacristias, extra illa ad usum, vel officium caeterorum distrahi, seu aliis commodari, quin prius accesserit consensus saltem ultra duas partes totius Capituli cujuslibet respectivi Conventus, per secreta suffragia singulis vicibus praestandus, et a Ministro Provinciae authentice confirmandus.

§. IV.

De causis Servorum Dei.

188 Ne occasione agendi causas Servorum Dei, sive eorum inter Beatos, vel Sanctos procurandae vel celebrandae relationis, scissurae inter nos audiantur, sed, ut Apostolus monet, omnia honeste, et secundum ordinem fiant, consulto, ac mature decernimus, quod si Dei Servus, de quo agitur, sit ex Observantia, et mortuus sit filius alicujus Provinciae, vel Custodiae Observantis, tam in actis causae, quam in picturis, sculpturis, laminis, libris, scripturis, elogiis, et foliis, ac locis quibuscumque exprimatur, quod est Ordinis Minorum de Observantia: si fuerit ex Reformatis, explicetur, quod est strictioris Observantiae, vel Minorum Observantium Reformatorum: si autem fuerit ex Provinciis Discalceatis, vel Recollectis, dicatur Ordinis Minorum Observantium Discalceatorum, vel Recollectorum: quod etiam addendum, si dicatur strictioris Observantiae, ita ut nunquam particularis status, in quo Dei Servus obiit, taceatur, vel status cum statu confundatur. Victor. 1694. S. R. C. 9. Decembris 1715.

189 Causarum hujusmodi Procuratores nihil agere praesumant inconsulto respective proprio Officiali Generali Curiae: idque praecipue intelligendum de expensis quibuscumque; et oneratur eorumdem Officialium conscientia, ut nullo modo permittant expensas fieri, quae paupertatis nostrae puritati non sint conformes. Rom. 1676. Rom. 1691.

190 Causarum Procuratores in Conventu Aracoelitano Romae commorantes, omnes, et singuli sequentia servare debeant. Primo: Non habeant Syndicum particularem, apud quem de suo privato mandato deponi faciant eleemosynas ad causam spectantes, vel suis levandis necessitatibus, servata forma constitutionum, applicatas: sed eas omnino integras, et singulas consignari faciant in manibus solius Syndici generalis Ordinis a Ministro Generali pro tempore instituti, vel instituendi. Victor. 1694.

191 Item: sub poena proprietatis non audeant eidem Syndico mandare, ut faciant expensas ullas, nisi apochae subscriptae sint a Ministro generali, vel, eo absente, ab Officiali Curiae ejus familiae, cui causa subest; exceptis casibus expensarum, quae non excedant summam scutorum quinque monetae romanae, pro quibus datur ei facultas apochas subscribendi. Syndico autem apostolico intimetur in patentibus suae institutionis, vel per hujus decreti impressae copiae significationem, quod, si contra hoc praescriptum solverit, aere, et damno suo solvet, et citra Religionis, aut causae obligationem ad satisfaciendum pro aliter solutis. Ibidem.

192 Item: sub poena privationis officii Procuratoris causae teneatur quilibet Procurator singulis sex mensibus coram Superiore generali, et Officiali Curiae suae Familiae, aliisque Patribus ejusdem Generalis judicio in ratiocinatores adhibendis, rationem reddere tam eleemosynarum habitarum, quam expensarum factarum; et decretum admissionis semestrium computorum in eodem expensarum libro per ipsos Genera- Ibidem.

lem, Officialem, et Patres subscribendum exigere. Si autem inventi fuerint non se fideliter gessisse, aut in superflua, et ad causam non spectantia eleemosynas consumpsisse, poenis contra Guardianos dilapidatores in constitutionibus Ordinis taxatis puniti, ab administratione, et procuratione causae amoveantur.

Ibidem. 193 Item: non habeat nisi socium unum Sacerdotem, vel Laicum professum, non autem Clericum, et ad summum unum Tertiarium, nullo autem modo servitorem saecularem: provinciae vero, ad quas causae spectant, in singulos dies missam pro conventus Aracoelitani obligationibus pro victu Tertiarii celebrari faciant; quod item pro socio fiet, si fuerit Laicus: de qua celebratione in singulos sex menses Procurator ipse per juratam attestationem sua manu subsignandam certiorem reddere teneatur Guardianum Aracoelitanum.

Ibidem. 194 Tam Procuratores, quam eorum socii adesse teneantur communitatibus chori, ecclesiae, et refectorii, aliisque publicis conventus functionibus, excepto tempore, quo in suorum officiorum actualibus negotiis legitime fuerint impediti, super quo eorum conscientias oneramus. Negligentes autem a suis Praelatis moneantur, et corrigantur: et quatenus negligentia ita excedat, ut communitati scandalo sit, ad exemplum puniantur.

Ibidem. 195 Iidem Procuratores, licet plures causas solicitandas habeant, etiam si unius integrae nationis, aut familiae, nullo modo, sub poena privationis actuum legitimorum per sexennium, et amotionis ab officio, audeant usurpare titulum Commissarii, seu Agentis, vel Procuratoris Generalis talis nationis, causae, vel causarum.

Rom. 1676. 196 Declaratur, ad Procuratorem Generalem Ordinis spectare instantias, quae fieri solent in Cappella Pontificia pro actu Beatificationis, vel Canonizationis Servorum Dei ex nostra Religione, cujuscumque Familiae Servi ipsi Dei extiterint: dummodo non adsint Postulatores ad id specialiter instituti.

Victor. Sup. 197 Solemnitas festi beatificationis, aut canonizationis Servi Dei ad totum corpus Observantiae pertinentis, et processio in eo fieri consueta, prius fiat a conventu illius membri, cujus Dei servus, dum viveret, portio fuerat, videlicet Reformatorum, si mortuus est Reformatus; Observantium, si Observans; Discalceatorum, vel Recollectorum, si Discalceatus, aut Recolletus in coelum migraverit. Et si plures fuerint ejusdem membri conventus, prius fiat a principaliori; deinde liberum sit ceteris, etiam alterius membri, etiam eodem tempore cum alis conventibus (non autem cum principaliori praedicto membri, ad quod Sanctus immediatius pertinet) eam celebrare solemnitatem.

Ibidem. 198 Ad processionem autem, quae a principaliori conventu fiet, aliorum conventuum communitates concurrere teneantur; et sub poena privationis officii, vocisque activae, et passivae per triennium, Praelati cum suis familiis convenire teneantur.

Ibidem. 199 Si autem in loco non fuerit conventus immediatioris instituti novi ejusdem Sancti, solemnitas, et processio, cui alii conventus ibi

coëxistentes sub eisdem poenis interesse teneantur, fiat primo in conventu Ordinis antiquiori, ex quocumque membro Observantiae sit; dummodo in imaginibus, libris, et foliis quibuscumque exprimatur cujus membri de corpore Observantiae Sanctus ille, vel Beatus in sua pretiosa morte filius fuerit.

200 Qui autem Divorum numero adscripti, vel adscribendi ante Concilium Constantiense decesserunt, ii *Ordinis Minorum* tantum dici, et inscribi debeant. Bened. XIII. 20. Mart. 1729. S. R. C. 14. et 16 Febr. 1737.

REGULA.

Et orent pro Defunctis.

§. V.

De Suffragiis Defunctorum.

201 Christianae pietatis, et aequitatis ratio postulat, ut, si omnium, qui nos praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis, memoria semper agenda sit, eorum tamen specialius agatur, quibus magis omni ratione tenemur. Sint itaque in omni Sacristia loco aperto, et conspicuo tabellae Patrum nostrorum, qui vel Ordinem universum, vel Cismontanam Familiam gubernarunt; Protectorum item, et Provincialium respective, ut Sacerdotes hac ipsa ratione moniti, et excitati, sacrum facientes, preces pro illis offerant, ut in aeterna tabernacula per Dei misericordiam recipiantur. Neap. c. 42.

202 Pro Summo Pontifice communi omnium parente, sanctaeque universalis Ecclesiae Pastore, ubi primum de ejus obitu nuntiatum fuerit, in quovis conventu solemni ritu funeralia fiant, novemque continuis diebus Sacerdotes singuli celebrent, vel statutam saltem orationem dicant: Clerici Defunctorum officio, Laici centies repetita oratione dominica, et salutatione angelica, cum precatiuncula *Requiem aeternam* pro ejus anima precentur. Ex Neap. c. 42.

203 Ministro Generali in officio decedente, singuli Sacerdotes dicant pro ipso missas duas: omnes conventus unam solemnem cum officio magno defunctorum: Clerici, Moniales, et Laici tres coronas Virginis, et duas stationes. Pro Vicario Generali Sacerdotes missam unam: conventus unam solemnem cum vigilia defunctorum: Clerici, et Laici duas coronas. Pro Exministro, aut Exvicario Generali Sacerdotes missam unam: conventus aliam solemnem cum vigilia defunctorum: Clerici, et Laici unam coronam, et unam stationem. Pro Commissario, aut Vicecommissario Generali Familiae ejusdem Familiae Sacerdotes missam unam: Conventus unam solemnem cum officio magno defunctorum: Clerici, Moniales, et Laici, duas coronas, et duas stationes. Pro Excommissario, aut Exvicecommissario Generali Sacerdotes Familiae missam unam: conventus unam solemnem: Clerici, et Laici unam Rom. 1651.

coronam, et stationem. In relationibus Provinciarum ad Capitulum generale sit fides de suffragiis praedictis rite persolutis.

Rom. Sup. 204 Vicarius Generalis, et Vicecommissarius Generalis respective literis impressis monebunt Ordinem, aut Familiam de transitu Superiorum Generalium, ut suffragia celeriter fiant: caeteri Superiores Praelati monebunt Ordinem, aut Familiam de morte Patrum, qui alias Ordinem, aut Familiam gubernarunt.

Neap. c. 42. 205 Pro Ministro Provinciali in quolibet Provinciae conventu tribus diebus funebria fiant cum Missa in cantu: Sacerdotes singuli celebrent: Clerici dicant officium defunctorum: Laici centies *Pater*, *et Ave*, cum precatiuncula *Requiem*.

Ibidem. 206 Pro reliquis Patribus et Fratribus, cum primum de eorum obitu nuntiatum fuerit, in omni provinciae conventu suffragia fiant per officium defunctorum in choro, et solemnem missam: Sacerdotes singuli celebrent: Clerici, et Laici semel, ut supra, officium recitent,
Rom. 1615. et preces fundant. De Fratris obitu a Guardiano Provincialis actutum moneri debeat.

Neap. Sup. 207 Qui in praemissis negligentes fuerint, pro negligentiae ratione Provincialis arbitrio poenas luant.

Ibidem. 208 Ad haec pro praedictis omnibus, nec non pro Parentibus, Propinquis, et Benefactoribus nostris in singulos annos, prima die non impedita post solemne festum omnium Sanctorum Ordinis nostri fiat officium generalissimum cum solemni Missa, prout in Commemoratione omnium Defunctorum: statutisque per annum diebus alia officia generalia fiant, ex antiquis Ordinis statutis in Breviario notata: singulisque mensibus prima die non impedita idem pietatis officium expleatur.

§. VI.

De oratione, aliisque pietatis exercitiis.

Vallis 1593. 209 Divinis officiis mentalis oratio jungi debet, qua nimirum ad divinos hauriendos fulgores, et ad virtutum incitamenta nihil opportunius, nihil ad retinendam regularis vitae disciplinam, et ad conservandum, vel etiam instaurandum Religionis institutum magis necessarium credimus. Nec sane religioso nomine vere dignus est, qui sanctae orationis studio non fervet.

Salm. c. 2. Neap. c. 2. Vallis. Sup. Rom. 1612. Tolet. 1633. 210 Fratres itaque omnes congruis temporibus, et locis, juxta laudabilem, et probatam cujusque Provinciae consuetudinem, simul convenientes, diebus singulis, saltem per horam orationi incumbant, praemissa moderata lectione libri, qui vernacula lingua mysteria fidei contineat, et explicet, in preparationem, et argumentum secuturae
Rom. 1700. contemplationis. Speciali huic obligationi satisfieri non possit per processiones intra ecclesiam, vel claustra, sive per recitationem stationis Sanctissimi Sacramenti, vel quid aliud simile.

Vallis Sup. 211 Qui interesse neglexerit, coram Fratrum capitulo disciplinae

poenam subeat: et si admonitus in contumacia perstiterit, suffragiorum jure triennio careat, atque etiam carcere puniatur Provincialis arbitrio.

212 Superiores locorum de hoc sancto exercitio sint maxime soliciti: Fratres suos incitent verbo, et exemplo, negligentes statutis poenis coërceant: quod si et ipsi super his culpabiles fuerint, privatione officii, vel gravius puniantur pro negligentiae modo, Provincialium arbitratu.

Ex eisdem. Rom. 1600.

213 Provinciales ipsi saluberrima haec de oratione decreta totis in Christo viribus, ac studiis servari curent. Si fecerint, nihil se aut Deo gratius, aut Religioni fructuosius fecisse sciant.

Vallis. Sup.

214 Fratres omnes bis, aut saepius in hebdomada Superiori, vel alteri Ordinis Sacerdoti rite approbato confiteri debeant. Sacerdotes quotidie celebrent: Clerici, et Laici dominicis saltem quibusque diebus, et in praecipuis solemnitatibus ad sacram Eucharistiam accedant.

Salm. c. 5 et 7. Vallis. Sup. Rom. 1612.

215 Ter in hebdomada, idest secunda, quarta, et sexta feria, hora congrua, dato signo, ad ecclesiam conveniant omnes ad communis disciplinae salutare exercitium; nisi eisdem diebus occurrat festum aliquod de praecepto, vel duplex primae, aut secundae classis, vel majus Christi Domini; ejusque Sanctissimae Matris. Excipiuntur item octavae Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschae, Ascensionis, et Pentecostes, Immaculatae Conceptionis, et Assumptionis Beatae Mariae Virginis, S. P. N. Francisci, et Omnium Sanctorum.

Rom. Sup. Ultram. c. 2.

216 Ter quoque in hebdomada in refectorio, sive alio capitulari loco Capitulum pro culpis dicendis, et audiendis fiat, cui omnes interesse debeant. Guardiani, qui hujus capituli, vel communis disciplinae exercitia neglexerint, officiis priventur. In Reformatione Superior Localis notabiliter negligens circa idem capitulum, quod adamussim est servandum, puniatur suspensione ab officio per trimestre.

Rom. 1612. Rom. 1688.

217 Cum autem ejusdem capituli institutum pervetus sit, a sanctis Patribus magno in pretio habitum, vitaeque regulari maxime conveniens, pro rei gravitate, ac dignitate statuitur, ut semel saltem in mense solemnius fieri debeat, ea nimirum gravi, ac religiosa forma, quam in Neapolitanis, et Vallisoletanis decretis descriptum habemus.

Neap. c. 13. Vallis. 1593. Rom. 1603. et 1676. Neap. c. 13. Vallis. 1593.

218 Exercitii Viae Crucis, animabus perutilis, Deo gratissimi frequentiam cunctis in Domino suademus. Superiores autem, servatis, quae de hac re sancte praescripta sunt, id ipsum frequentari, et promoveri curent, simulque invigilent, ne exteri, quibus id non licet, se ingerant, aut hoc Ordinis nostri peculiare ornamentum ad se trahere praesumant.

Rom. 1688. Bened. XIII. *Inter plurima.* Clement. XII. *Exponi nobis.*

219 Coronam septem gaudiorum Beatae Mariae Virginis Patrum nostrorum memoria celebrem, et a Summis Pontificibus coelestium munerum largitione decoratam, Fratres omnes pro sua in Deiparam pietate diebus singulis recitare non omittant.

Leo X. *Dum praeexcelsa.*

220 Cum exercitiorum spiritualium, quae, sepositis aliarum rerum occupationibus, in sancto, ac solito majori corporis animique secessu fiunt, inaestimabilis sit fructus; haec ipsa, quorum etiam intuitu con-

Tolet. 1658. Alex. VII. *Cum sicut.*

cessam habemus plenariam indulgentiam, cum regulis, et formis, quae a Provincialibus, et Definitorio traditae fuerint, certo cujusque anni tempore per decem, vel octo dies nemo praetermittat.

Rom. 1612. S. C. disc. reg. 9. Novemb. 1709. 20. Febr. 1739. 16. Mart. 1758. 30. Sept. 1765.

221 Dominicis quibusque diebus stato loco, et tempore christianae doctrinae tradatur explicatio, ad quam Clerici, Laici, Tertiarii, aliique, si qui fuerint, conventibus inservientes convenire debeant, Quam ob causam in provincialibus comitiis destinetur omnino Sacerdos aliquis pius, et doctus, qui in id operis incumbat; nisi Superior ipse, pro sua erga suos charitate, per se tam piam, et necessariam institutionem explere malit.

R e g u l a.

Et jejunent a festo Omnium Sanctorum etc.

§. VII.

De jejunio.

Salmant. c. 3. Vallis. 1593.

222 Quo tempore vel ex Ecclesiae praecepto, vel ex regula Fratribus jejunandum est, non solum a carnibus, sed ab ovis etiam, caseo, et lacticiniis quibusvis abstinere debent. Locorum Superiores, qui talia in communitate permiserint, vel comedenda providerint, officio priventur. Fratres, qui comederint, suffragiorum jure careant, nec unquam ad Ordinis officia promoveantur. Cum necessitate a Medicis decreta, et Superiori probata, in valetudinario, quae necessaria fuerint, sumere liceat.

Rom. 1612. Vallis. Sup.

Rom. Sup.

223 Absque tali necessitate, et Superioris scripta licentia, qui a festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini non jejunaverit, ad officia Ordinis ineptus habeatur, et sit. Qui sexta feria coenam sumpserit, etiam in privata cella, vel hospitio, puniatur tamquam manifestus regulae transgressor. Generatim qui jejunium praeceptum fregerint, graviter arceantur, Superioris arbitrio.

Rom. 1615.

Salm. et Vallis. Sup.

224 Quadragesimam Epiphaniae, quae Benedicta dicitur, jejunare cogatur nemo: volentibus Superiores locorum opportune provideant.

Ex antiqu. Stat. ex consuetud.

225 Vigilia S. P. N. Francisci ab omnibus intra, et extra conventum jejunio consecretur.

Rom. 1603. Salm. Vallis. Sup.

226 Invigilent Guardiani, ne a subditis frangatur jejunium: quam ob causam dari eis ad sufficientiam curent.

Rom. 1603.

227 Jejuniorum diebus pro collatione in sero nihil coctum de coquina ministretur; nisi pro hospitibus, qui ipsa die advenerint, et necessitatem habuerint comedendi.

§. VIII.

De silentio, et modo loquendi.

228 Sacrum, et regulare silentium sicut in choro, in ecclesia, et in sacrario, quod sacristiam dicimus, in dormitorio quoque, et refectorio perpetuo, et inviolate servari praecipimus. Salm. c. 3. Vallis. 1593. Rom. 1612.

229 In sero stato tempore detur ubique communis silentii signum usque ad primam diei sequentis ab omnibus servandi. Excipiuntur hospites de novo venientes, et qui de licentia Superioris eis inserviunt; quibus, modeste tamen, et, quoad fieri potest, tacite loqui permittitur. Similiter a Pascha, sive ab inventae Crucis festo usque ad festum exaltationis ejusdem, pro dormitionis tempore, simili post mensam facto signo, sileant omnes, donec signum surgendi fiat. Qui silentium fregerit, in communitate Fratrum debeat dicere culpam suam, et poenam a Superiore impositam subire. Salm. et Vallis Sup.

230 Quod si necessitas cogat, loqui liceat, breviter tamen, et submissa voce. Quin etiam omnes monemus in Domino, ac vehementer hortamur, ut, quod oportet, ubique, ac semper submisse, ac modeste loqui assuescant. Ex eisdem.

231 Quia vero in his facilius, ac frequentius peccari compertum est, et pietatis fervor per multiloquium extinguitur; Superiores locales, et Provinciales omnem curam adhibeant, ut abusus absint, et religiosi silentii disciplina teneatur. Vallis Sup. Rom. 1603.

232 Omnes etiam hortamur, ne per aliorum cellas frequentes sint, juvenes praesertim, quibus et aliorum cellas ingredi, et alios in proprias admittere ne liceat, Magistris, et Superioribus dumtaxat publici muneris obeundi causa exceptis. Indicto autem per campanulae signum silentio, nemo sit, qui alterius cellam ad colloquendum intret. Vallis. Sup. Rom. Sup.

233 In conversationibus autem, et mutuis collocutionibus utantur omnes honestis, modestis, atque omnino religiosis verbis: caveant vero ab obscoenis, profanis, scurrilibus, atque etiam otiosis. Qui in his peccaverit, graviter moneatur. Si monitus non se correxerit, det poenas pro delicti qualitate. Si quis ita vitiosus fuerit, ut scandalo sit, carcere puniatur, aut etiam gravius, Superiorum arbitratu. Vallis Sup.

234 Saecularium vero non mulierum tantum, sed etiam virorum conversationes, tamquam spiritui devotionis noxias, aversentur, neque cum eis, nisi quantum necessitas postulat, agant: tumque ea modestia, et honestate, quae Sancti Patris Francisci filiis congruat, et pietatem fovere apta sit. Rom. 1587.

§. IX.

De localis clausurae disciplina.

235 Cum localis clausura quoddam sit religiosae vitae praesidium, atque etiam ornamentum, in ejus custodiam omni solertia vigiles nos Clement. VIII. de ref. Rom. 1603.

*

esse oportet. Propterea ubivis ostiarii sint, in magnis conventibus duo, in reliquis unus; singuli diligentia, et morum integritate maxime commendati. Hi januae, quae clausa perpetuo esse debet, custodiendae assistant; pulsantibus praesto sint; Fratrem, qui requisitus fuerit, de licentia Guardiani vocent; pro egressu nulli, nisi socium, et licentiam habenti aperiant. Qui illorum sciens aliter fecerit, eamdem illam poenam subeat, quae constituta est egredienti sine licentia.

Clem. Sup. Rom. 1587. Neap. c. 14. Vallis. 1593.

236 Nemini vero, cujuscumque gradus, et dignitatis sit, nisi cum socio, et licentia Superioris singulis vicibus impetrata, et benedictione accepta, egredi liceat. Superior autem non concedat, nisi causa probata; et socium adjungat non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eumdem saepius. Licentiae vero generales exeundi nulli concedantur. Qui in his deliquerint, poena gravi, etiam carceris plectantur, Superioris arbitrio.

Rom Sup. Vallis. Sup. Vallis. Sup.

237 Qui autem Ministri, vel etiam Commissarii Generales fuerunt, ob muneris, quo functi sunt, praeminentiam, absque alia cujusvis licentia cum socio electo exire possint. Iis etiam, quibus ex constitutionum praescripto socium gratum habere concessum est, eo ipso comite egredi liceat, Superioris utique licentia toties, quoties petita.

Ex eisdem. Neap. Sup.

238 Haec vero petatur ab omnibus ea, qua decet, humilitate, et reverentia; et aliter petentibus denegetur. Ceterum Superiores ipsi in concedendis licentiis necessariam personarum rationem pro singulorum qualitate habere debeant.

Neap. et Clem. Sup.

239 Ne autem vagandi libertas vel Fratrum importunitate, vel etiam Superiorum indulgentia succrescat, Superiores ipsos in Domino requirimus, ut non levibus de causis egrediendi licentiam tribuant: in quo si nimis faciles fuerint, licentiandi potestate Provincialium arbitrio priventur: qui praeterea petentium importunitatem graviter coërceant, ac severe puniant Guardianos, qui quempiam solum incedere permiserint.

Ex eisdem.

240 Egressi, ubi primum redierint, ad Superiorem et reditus significandi, et petendae benedictionis causa accedant. Qui facere neglexerit, trium mensium spatio egrediendi licentia careat, et coram Fratrum capitulo disciplinae poenam subeat; gravius puniendus Provincialis arbitrio, si in contumacia persistat.

Clem. Sup. Salm. c. 10. Vallis 1593.

241 Superior a socio itineris rationem, et quid rei actum sit, diligenter perquirat. Fratres sociorum excessus notabiles Superiori secreto dicere teneantur.

Vallis Sup.

242 Neque vero quoad Fratrum exitum dumtaxat, sed etiam quoad aliorum ingressum clausurae habenda ratio. Saeculares itaque ad interiores officinas, vel ad interiora claustri nunquam admittantur: in dormitorium autem perpetuo illis interdictus sit ingressus. Hinc Janitor ultra primum claustrum eos progredi non permittat.

Rom. 1603.

Neap. c. 23.

243 Consulto etiam decernimus, ut nemini saeculares consanguineos, affines, vel amicos ad comedendum in communitate cum Fratribus quavis occasione, vel causa admittere liceat: neque licentia hujusmodi cuiquam detur, nisi forte pro aliquo Praelato, vel magnae spe-

ctabilitatis Domino, qui pro sua dignitate Fratribus honori, eique Fratres exemplo futuri sint. Contra facientes Guardiani priventur officio; caeteri suffragiorum jure triennio careant.

244 Ad haec, sub poena privationis officiorum Ordinis immediate incurrenda, Superiores Provinciales, et Locales, atque etiam subditi nullo unquam tempore, nulloque praetextu, vel quaesito colore permittant, vel consentiant, saeculares quoscumque (Syndicis Apostolicis dumtaxat exceptis) ingredi septa conventuum, deferendo per sylvas, hortos, aut prata solopos ad venandum, seu alia armorum genera; vel illa apud Fratres superiores, aut subditos deponere; aut ludere quomodolibet per claustra, sive alia conventuum loca publica; vel privata; vel convivere, et pernoctare in eis ultra triduum, tantum piae hospitalitatis titulo.

S.C. 1. Dec. 1679. Innocent. XI. Emanavit alias S.C. 4. Dec. 1699.

245 Quae vero Summi Pontifices de mulieribus in monasteria, et domos Regularium non admittendis pie, prudenterque statuerunt, inviolate serventur. Qui contra fecerit ultra poenas pontificiis constitutionibus contentas, carceribus etiam puniatur, Superiorum arbitrio.

Vallis. Sup. Pius V. Regularium personarum. Greg. XIII. Ubi gratiae. Bened. XIV. Regularis disciplinae.

R e g u l a.

Consulo vero, moneo, et exhortor Fratres meos in Domino Jesu Christo, ut quando vadunt per mundum, non litigent etc.

§. X.

De tollenda vagatione.

246 Cum ad salubriter tollendos inutiles, vagosque discursus, et ad regularem disciplinam in suo robore servandam, Sancta Apostolica Sedes tot, tantaque privilegia Ordini nostro contulerit; Superiores pro viribus laborent, ut, quantum fieri potest, Fratres ab evagatione coërceant, et in officio continere diligenter curent. *Vallis 1593.*

247 Superiori Locali sibi subditos extra conventûs sui limites mittere ne liceat, nisi specialiter id sibi concessum fuerit: secus mittens privetur officio, missus de levi saltem apostasia notetur. *Salm. c. 2. Vallis Sup.*

248 Provincialibus liberum sit locorum Superioribus permittere, ut certis casibus Fratres suos ad viciniora loca, vel etiam ad propriam praesentiam mittant: tum vero de Discretorum consilio scripta facultas detur, expressa causa. *Ex eisdem.*

249 Cum autem extra conventuum, vel provinciarum fines cuiquam egrediendum fuerit, id ei ne liceat, sub apostasiae nota ipso facto incurrenda, nisi respective obtenta Superiorum scripta facultate. *Salm. Sup.*

250 Consulimus vero Praelatis omnibus, ut non passim, neque specie peregrinationis, aut pietatis praetextu licentias concedant, sed parce, et necessaria tantum, seu legitima subsistente causa; cum ex inutilibus discursibus, non sine dispendio vitae spiritualis, et admira- *Salm. Sup. Rom. 1612. 1615. 1732.*

tione saecularium, mille incommoda et Fratri discurrenti, et Ordini proveniant.

Rom. 1603. Tolet. 1682. 251 Provincialibus Ministris non est facultas mittendi extra provinciam, nisi ad loca provinciarum contignarum, seu vicinarum publicae vel gravis necessitatis intuitu; ad quaerendas vero eleemosynas mittere non possint, nisi de consensu interesse habentium. Missi, quibus ultra mensem in contigua provincia manendum sit, certiorem faciant ejus Ministrum: hic vero eos ipsos mittere nequeat ultra limites provinciae suae. Visitatores ab hujusmodi obedientialibus omnino abstineant: datoque, visitationum tempore, urgentis, ut supra, necessitatis, vel publicae utilitatis casu, Provinciales de eorumdem Visitatorum consensu eas concedere possint.

Rom. 1603. Rom. 1625. et 1639. 252 Quoties autem Praelatis concedenda licentia videbitur, illud in primis inviolate serveut, ut ea ipsa facultate, euntium, et viarum habita ratione, tempus praefiniant: simulque locorum Superioribus injungant, ut qua die quis ad eorum conventus accesserit, et qua item discesserit, fideliter in ea ipsa facultate notent.

Neap. c. 25. Rom. 1603. Rom. 1688. 253 Religiosae insuper honestatis gratia, et probatae consuetudinis conservandae studio decernitur, ut nemini sine socio iter facere liceat, sub apostasiae poena ipso facto incurrenda: quare in eisdem obedientialibus literis assignari debeat socius, vel saltem ad arbitrium Superiorum inferiorum; qui reipsa, sub poenis Generalis Praelati arbitrio infligendis, eum assignare debeant; et Superior localis, sub poena privationis officii, non permittat Fratrem sine socio discedere. Qui autem, Neap. Sup. etiam cum legitimis facultatibus, solus accesserit, habeatur, et puniatur tamquam apostata. Excipitur casus urgentis necessitatis Praelatorum judicio probatae eorumque scripto consensu, aut missu, luculenter explicatae.

Tolet. 1682. Rom. 1688. 254 Obedientiales literae Superiorum Generalium vigorem non habeant, nisi obtento Provincialis responso, scriptoque consensu, quem Fratres in itinere simul cum obedientialibus ostendere debeant; aliter obedientiales habeantur pro illegitimis, eisque utentes ut apostatae puniantur: quique sine dicto consensu discesserit; ultra apostasiae poenas, ad propriam rediens, tanto tempore locum ultimum teneat, quanto abfuit a provincia. Hanc ipsam poenam subeant discedentes sine obedientialibus, si Sacerdotes fuerint: si vero Clerici, non mittantur ad Ordines: Laici poenis aequivalentibus corrigantur. Casu tamen urgentis necessitatis, quae Superioris localis, et Discretorum judicio moram non patiatur, ante discessum e conventu, de hoc Superior Provincialis certior fiat; ejusdemque judicii scriptum testimonium discedenti detur in Rom. 1691. itinere ostendendum, prout de consensu predictum est. De eodem consensu declaratur obtinendum esse non solum a Provinciali, cujus Frater est naturalis subditus ratione filiationis, si iter incipiat a propria provincia, sed ab eo etiam, cui subditus fuerit ratione domicilii, si iter incipiat ab aliena. Ad praecludendas autem minus aequas negationes, Provincialibus consensum denegantibus praecipitur, ut Praelato

Generali statim significent, qua ratione id fecerint: quae si approbata non fuerit, teneantur illico consensum dare; aliter Superior Generalis opportuna correctione provideat.

255 Nemini similiter, sub gravis apostasiae nota, per licentiam a Provinciali obtentam, ultra conventus limites ire liceat, nisi prius Superiori locali ostenderit, et ab eo discedendi benedictionem acceperit. Vallis 1593.

256 Licentiae intra duos menses exequi debeant; secus eo elapso termino nullae sint. Neque iter carpere quis possit, et obtenta facultate gaudere, nisi obedientiales literae prius registratae, et a Ministro, vel respective a Guardiano subscriptae fuerint, adnotata in eisdem discessus die. Salm. c. 2. Rom. 1625.

257 Cum primum quis ad civitatem, aut locum accesserit, in quo conventus noster sit, sub apostasiae poena, recta ad illum pergat, et Superiori debitam obedientiam exibeat. Salm. cap. 3. Vallis. 1670. Eidem ostendat obedientiales literas: quod si non fecerit, Praelatus eas exigere debeat; renuentem in proxima refectione disciplinae subjiciat. Salm. c. 2. Aquil. 1559. Sine ejusdem Superioris licentia, in aliqua saecularium, etiam attinentium domo ne comedat, aut dormiat: Superior vero licentiam ne concedat sine urgente necessitate. Negotia si agenda habuerit, Superiori antea significet, ut ejus concessu, si expedire videbitur, pertractari liceat, ab eodem Superiore de sua familia assignato socio: excipiuntur vero Patres Ordinis, et Provinciales Exministri. Salm. Sup. Neap. c. 15.

258 Qui alio, vel alia via vadit, quam sibi per facultatem liceat, quique sine probata necessitate praescriptum tempus excedit, pro culpae modo apostasiae fit obnoxius; ut alibi etiam est dictum. Vallis. 1593.

259 Ut multis abusibus, et periculis occurratur, diem, qua quisque accedet, et discedet, locorum Superiores in obedientialibus notare debeant, et notari viatores ipsi humiliter procurent. Nisi fiat, Superior suspensione ab officio per mensem, Viator apostasiae poena puniatur. Vallis Sup. Rom. 1639.

260 Prohibetur Provincialibus, et Localibus Praelatis, sub officiorum privationis poena, ne aliarum provinciarum Fratres ultra triduum apud se retinere audeant, nisi ad id specialem ostenderint facultatem. Rom. 1642.

261 Ad tollendos Fratrum discursus, et alia incommoda, Provincialibus Ministris per sanctam obedientiam praecipitur, ne Fratres per Capitulum, aut Congregationem locatos per annum loco mutent, nisi pro servitio provinciarum. Paris. 1579.

262 Omnes vero iter facientes perpetuo meminerint salutaris moniti euntibus per mundum in regula traditi, seque tales praebeant, quales pro instituto, quod sancte profitemur, esse nos decet. Modeste itaque, ac religiose semper, et ubique incedant, manibus religioso more compositis, incessu gravi, vultu demisso, oculis non vagis, ita ut populo sanctitatis exemplo sint, et, quam gerunt, religiosam dignitatem, et personam ostendant. Vallis. Sup.

§. XI.

De fratribus Romam confluentibus.

Rom. 1612. Tolet. 1658.

263 Ad Romanam Curiam Provinciales Ministri Fratres non mittant sine speciali facultate Superioris Generalis. Neque sine ejusdem scripta licentia mittantur Procuratores provinciarum: aliter missi puniantur tamquam apostatae, et inauditi ad suas provincias statim remittantur. Pro publicis tamen provinciae negotiis possit Minister de consensu Definitorii mittere.

Clem. VIII. 20. Mart. 1601. Rom. 1625.

Neap. c. 21.

264 Fratres autem de aliis provinciis a Romana, quibus ad Sanctam Urbem venire concessum fuerit, mox ut pervenerint, ad locum residentiae Officialis Generalis Curiae de sua familia recte properantes, eidem Officiali se sistere, et (salva in reliquis hospitum ad conventum, in quo diversantur, obligatione) tamquam suo vero, ac legitimo Superiori in omnibus subesse debeant: neque ullo praetextu sine ejus licentia, sub apostasiae nota, fas illis erit a conventu exire. Hanc subjectionem servare tenentur Observantes, quamdiu Romae manent: Reformati per triduum; deinceps vero Guardiano S. Francisci ad Ripam Tyberis subesse, ac parere debent.

Decr. Min. Gen. 13. Jan. 1680.

Stat. Ref. c. 8. n. 62. Alex. VII. *Illius qui caritas.*

Tolet. 1682.

265 Euntes etiam ad Terram Sanctam, et inde redeuntes, pro egressu a conventu, et ad eumdem regressu, benedictionis petendae causa, Officiali Curiae subduntur, sicut ceteri forenses.

Neap. Sup.

266 Super negotiis, quae quis tractanda habuerit, cum eodem Officiali Curiae sincere, ac fideliter conferat, et quod ipse decreverit, inviolate servet: sibique interdictum noverit negotium aliquod in Curia procurare, nisi de ejusdem Officialis consensu, aut expressa Generalis facultate.

Vallis. 1740.

267 Officialis Curiae habita ratione temporis in literis obedientialibus concessi, ad Urbem venientes quamprimum discedere faciat; nisi aliter Superiori Generali videatur: et quo die quis accedet, quo item discedet, in libro ad hoc specialiter destinato notandum curet. Quamobrem nemini, nisi eo praemonito discedere liceat.

Vallis. 1593.

Clem. X. *Cum fel. record.*

268 Reformati devotionis, vel negotiorum causa ad Urbem accedentes, in conventibus S. Francisci, et S. Petri in Monte aureo manere nequeunt ultra quindecim dies. Guardiani, qui secus permittant, et Sacerdotes, aut Clerici, qui ultra permaneant, vocis activae, et passivae, officiorumque obtentorum privatione ipso facto puniantur: Laici carcere, aliisque poenis, Summi Pontificis arbitrio. Et ne fraus prohibitioni fiat, eisdem subduntur poenis, qui post quindecim dies digressi, paulo post in Urbem redeunt; pariterque dictorum conventuum Superiores, qui hujus modi elusoriis sonatibus non obsistant.

Clement. X. *de Reform.* n. 33.

269 Qui autem sine legitima facultate Romam venerint, praeter alias Superiorum arbitrio infligendas poenas, voce activa, et passiva biennio privantur, reservata Apostolicae Sedi poenae hujus moderatione, et remissione: tum ab apostasia absoluti, statutaque poena emendati,

Salm. c. 2. Neap. Sup.

mox ad propria remitti debent, ab eorum Superioribus pro aliis delictis, si commiserint, puniendi.

R e g u l a.

Et non debeant equitare, nisi manifesta necessitate, vel infirmitate cogantur.

§. XII.

De non equitando.

270 Nemo sine gravi, et manifesta necessitate, et Provincialis, Salm. c. 3.
vel, in casu urgente, Superioris Localis de consilio trium Discretorum Neap. c. 25. Vallis. 1593.
scripta licentia, equitare, bigare, quadrigare audeat. Rom. 1603. 1612.

271 Praelati in casibus tantummodo necessariis licentias ejusmodi Salm. 1618. Rom. 1676.
concedere se posse noverint: quod si nimis faciles fuerint, tanquam Urban. VIII. *Militantis.*
regulae transgressores, officiis priventur, Superiorum arbitratu. Neque Neap. Sup.
vero detur licentia quovis tempore, sed quando necessitas occurrit. Provincialis Rom. 1610. Rom. 1603.
eam non tribuat sine Guardiani, et majoris partis Discretorum
authentico de necessitate testimonio. Guardianus pro ea concedenda, Ib. et Urb. Sup.
consilio, et judicio utatur Discretorum conventus, et cum eisdem de Rom. 1676.
vera necessitate testimonium ferat sub ipsis literis Superioris Praelati.
Frater autem, obtenta licentia, demissione summa, et modestia pergat, et ante ingressum in civitatem, vel oppidum, sub poena apostasiae jumentum linquere debeat, et pedester incedere.

272 Qui autem sine manifesta, vera, gravique necessitate, aut in- Urb. Sup.
firmitate, et absque licentia, ut supra, equitare ausus fuerit, eo ipso privationis officiorum, et ad quaecumque officia, gradus, et dignitates perpetuae inhabilitatis poenas incurrat; quas aliquando, et ex rationabili causa remittendi solis Ministro, et Commissario Generalibus facultas sit. Item bimestri carcere puniantur; et, si defectuosus fuerit, Vallis 1593.
omni etiam suffragiorum jure sexennio careat. Item equitans sine licen- Rom. 1676.
tia, et necessitatis testimonio, a Guardiano loci, ad quem accessit,
puniatur ut apostata. Qui punire neglexerit, officio privetur. Vallis. Sup.

273 Quia vero in hoc et facile, et frequenter peccari compertum Ibidem.
est, Visitatores de his specialiter inquirant, et in delinquentes graviter animadvertant.

274 Demum Superiores Generales cum Provincialibus, Commissa- Urb. Sup.
riis, et ad urgentiora negotia destinatis paterne monentur, ut in casu urgenti, et per regulam permisso, memores humilitatis, paupertatis, et patientiae Christi Domini, vilioribus, despectisque jumentis contenti sint, exemploque ceteros praeeuntes, sciant in concessis tantum casibus equitandi licentiam indulgere.

Caput IV.

REGULA. *Praecipio firmiter Fratribus universis, ut nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam personam etc.*

§. I.

De interdicto pecuniae.

Innoc. XI. *Solicitudo.* 275 Ne fratres per se, vel per interpositam personam denarios recipiant, Religionis nostrae capitale est praeceptum. Aliarum enim necessariarum rerum habere non utique dominium, sed usum possumus; denariorum autem nec dominium, nec usum: proinde quaevis pecuniae, seu denariorum contrectatio, quae non sit pure naturalis, seu quae sit quovis modo politica, cujuscumque sint denarii, seu pecunia, nobis est omnino prohibita.

Salm. c. 4. Vallis 1593. 276 Quisquis itaque denarios, vel pecuniam receperit, vel ad recipiendum, et in proprios usus convertendum auctoritate propria alium substituerit: qui supra se, aut in pera, vel supra jumentum, vel in cella, vel alibi, vel in manibus saecularium depositas habuerit, poenas subeat contra proprietarios decretas, et in foro conscientiae praeter mortis articulum, absolvi non possit, nisi a Provinciali Ministro. Quod si hujusmodi flagitii reus in foro fori declaratus fuerit, sit in carcere per mensem, et omni suffragiorum jure perpetuo careat, vel gravius etiam puniatur pro qualitate delicti: et contra recidivos singulis vicibus duplicetur poena, Superiorum arbitratu.

Salm. Sup. Rom. 1600. 277 Sub eisdem proprietatis poenis nemo pecuniariam eleemosynam pro se, vel aliis Fratribus, sive pro saecularibus personis procurare; vel oblatam pro necessitate praesente, aut imminente, omnibusque juxta apostolicas sanctiones servatis modificationibus admittere, vel insumere praesumat, sine speciali licentia Praelati sui. Praelatus autem nemini subditorum licentiam in universum tribuat, sed peculiaris facultas semper necessaria sit ad res etiam minimas comparandas. Poenae contra eos, qui in his deliquerint, sine dispensatione executioni dentur.

Rom. 1615. et 1628. S.C. 7 Julii 1708 278 Capsae, vel trunci ad recipiendas pecuniarias eleemosynas, etiam pro missis oblatas, sub poena inobedientiae, et excommunicationis majoris omnino prohibentur non solum ab ecclesia, sed a sacristia etiam, et quavis alia parte intra clausuram conventus.

Salm. et Vallis. Sup. 279 Neque in missis novellis oblationes pecuniarum fiant, sub poenis proprietariorum a novo Sacerdote, et Superiore loci, ubi fieri contigerit, omnino subeundis.

Rom. 1615. 280 Pecuniaria eleemosyna in ecclesiis nostris, quovis praetextu, aut titulo, etiam inter praedicandum, vel alio quovis tempore non permittatur peti. Guardianus, vel Vicarius permittens officio privetur.

Innoc. XI. Sup. 281 Ut omnis auferatur occasio transgrediendi hoc singulare prae-

ceptum, Superiores quicumque in virtute sanctae obedientiae, et sub destitutionis poena, nemini suorum Fratrum permittant administrationem fundorum, reddituum, aut aliarum quarumcumque rerum, et bonorum mobilium, vel immobilium, cujuscumque domini illa sint; maxime vero bonorum temporalium alicujus monasterii Monialium, quovis praetextu, aut nomine, puta administratoris, Syndici, villici, aut alio quovis imaginabili.

282 Ad tollendam Fratribus omnem occasionem recurrendi ad amicos spirituales, vel absque Guardiani licentia, vel non servata forma constitutionum apostolicarum, necnon congregandi, aut conservandi in manu Syndici apostolici, vel alterius substituti, aut interpositae personae eleemosynas pecuniarias; renovantur omnia statuta, et decreta, quibus inculcatur Guardianis, ut singulis Fratribus suis ad religiosam sufficientiam, et decentiam de necessariis omnino provideant. *Vallis Sup. Rom. 1600. 1612. Tolet. 1633. Rom. 1676. Mant. 1682. Victor. 1694. Mant. 1762. Clement. VIII. de reform.*

283 Quod ut exacte observetur, Provinciales, et Visitatores in suis visitationibus specialiter de hoc puncto inquirere teneantur, et ad proximum Definitorium in Congregatione, aut Capitulo referre: in quo, constante Guardiani negligentia, in officio continuari non possit. Ad haec in Capitulis provincialibus Guardiani ad suffragandum non admittantur, nisi prius coram Capituli Praeside, ac Definitorio per juratas suorum Religiosorum, et Syndici apostolici attestationes constare faciant, se cuilibet indigenti ad supradictam methodum necessaria ministrasse. Qui tales attestationes ad capitula non detulerint, in eisdem voce passiva careant, et cujusvis officii tunc distribuendi incapaces sint, sub poena nullitatis; et postea activa, et passiva voce per duo subsequentia triennia solaria sint privati. *Rom. 1676. Victor Sup.*

284 Quin etiam conventuum superioribus sub officii privatione praecipitur, ut refectionis tempore Fratres sibi subditos crebro moneant, hortentur, invitent, soliciteut, rogent, ut sibi secure manifestare velint, et debeant proprias necessitates, parati eisdem benigne, et solicite providere: subditi vero per sanctam obedientiam Superiores adire teneantur, eisque occurrentes necessitates fideliter exponere. *Tolet. 1633.*

285 Qui vero quomodolibet in rerum necessariarum subministratione defecerint, inhumanitatis, et crudelitatis notam, officiorum privatiorem, et perpetuam ad omnia munera inhabilitatem irremissibiliter incurrant. Eisdemque notis, et poenis subsint Provinciales Ministri, qui vel Guardianos quovis modo in praemissis delinquentes punire, vel curam, ad quam ex regula ipsi prae caeteris tenentur, pro Fratrum necessitatibus gerere neglexerint. *Salm. 1618. Tolet. Sup. Tolet. Ibid.*

286 Et ut frivolae Guardianorum excusationes praecludantur, attendi omnino debeant decreta de numeri Fratrum ad consuetas eleemosynas proportione: eaque Superiores Generales servari curent, minuendo etiam, si opus fuerit, Novitiorum receptionem. *Rom. 1676. Mant. 1762.*

287 Quatenus vero pro inevitabilibus necessitatibus victus, vestitus, curationis, et habitationis, et pro cujusque Religiosi officio sive ordinario, sive extraordinario de mandato Praelatorum decenter adimplen- *Victor. 1694.*

*

do, conventus eleemosynae non sufficiant; Superior ipse, juxta memoratas declarationes, vel per se ipsum, vel per indigentem Fratrem, vel per alium a se specialiter deputatum, taxata prius per se quantitate eleemosynae procurandae, quae necessitatis mensuram non excedat, ad amicos spirituales recurrat pro vera tantum, praesente, vel imminente necessitate, non autem pro futura, possibili, excogitata, incerta, vel saltem quoad tempus fictitia, aut mere arbitraria, et multo minus pro superfluitate; servata in reliquis pro tali recursu, et pro circumstantiis expendendi eleemosynas pro eisdem necessitatibus ab amicis spiritualibus collectas, forma in apostolicis Nicolai III., et Clementis V declarationibus praescripta.

Victor. Sup. 288 Ne tamen conventus aliqua ad se juste pertinente eleemosyna fraudentur, et per hoc inhabilis ad praedicta implenda vel reddatur, vel praetendatur; iterum proclamamus, omnes, et singulas eleemosynas, quae a particularibus personis, et benefactoribus sponte, et gratis, aut alias quomodolibet Fratri alicui, vel pro eo conventus Syndico, aut substituto dantur intuitu laborum particularium Fratrum, videlicet intuitu praedicationis quadragesimalis, adventualis, annualis, aut occasionalis, seu lecturae publicae, aut privatae, tam in universitate, et collegio, quam in alio quovis loco intra, vel extra Ordinem exercitae, moderationis organi, cappellaniae, theologatus, confessionis, aut alterius quocumque nomine nuncupatae occupationis, exercitii, officii, incumbeutiae, et actionis, cui merces aliqua, vel donarium certum, aut incertum cujuslibet etiam modicae, et exiguae quantitatis correspondeat, ad conventum pertinere, et eleemosynarum illarum proprietatem, dummodo licitis titulis, ac modis proveniat, ad Sedem Apostolicam pertinere; ac proinde nulla super his Fratri particulari, ne quoad usum quidem, inesse jurisdictionem; sed in manu Syndici esse deponendas, et ab eodem, independenter a particularis Fratris beneplacito, et respectu, tamquam conventus eleemosynas esse recipiendas, et cum ceteris hujusmodi describendas, et incorporandas, permiscendas, confundendas; prout ex natura rei eo ipso, quod a benefactoribus erogantur, sunt, et remanent confusae, permixtae, et incorporatae, atque in necessarios usus tam Communitatis conventus, quam singularum ejusdem personarum, sive quarum intuitu, et labore datae sunt, aut acquisitae, sive aliarum, de Praelatorum praescripto per Syndicos expendendae.

Victor. Sup. 289 Fratres autem particulares, qui eleemosynam vel suo labore acquisitam, vel pro se datam (dummodo non sit pro aliqua speciali, vera, praesente, vel imminente necessitate, a Guardiano probata, et de ejus licentia, ut supra dictum est) tamquam suam in Syndici Apostolici, vel alterius cujusque manu servare ausi fuerint, vel pro se expendi, et non tamquam conventus, et de Guardiani mandato, fecerint, aut scandalose praetenderint; proprietarii sunt, et communium eleemosynarum dilapidatores: ac proinde proprietariorum poenis plectendi, et ex constitutionum praescripto, si in tali statu (quod Deus avertat) decesserint, incapaces ecclesiasticae sepulturae. Ultra poenas autem pro-

prietariorum, pro contumaciae modo, actibus legitimis, voceque activa, et passiva per sexennium priventur, et, si fuerint Ordinis, aut Provinciarum Patres, per idem tempus substitutione, et subrogatione in Definitorio tam Generali, quam Provinciali careant, neque in Discretorium Provinciae, aut in Capitulum locale quavis ex causa habendum, sub nullitate actus, admittantur.

290 Guardianus vero, qui id permiserit, et Syndicus Apostolicus, qui ad Fratris particularis libitum eleemosynam servaverit, vel expenderit contra formam a declarationibus pontificiis taxatam, si de his legitime convicti fuerint, per Provincialem cum Definitorio, aut etiam per Generales Praelatos, advocata ad se causa, suis officiis priventur, et ad ea in quolibet loco exercenda perpetuo inhabiles declarentur, et tamquam sacrilegi latrocinii cooperatores pronuntientur. Victor. Sup.

291 Provinciales autem, qui de alicujus in praemissis transgressione admoniti, taxatas poenas tam contra reos proprietatis, quam contra Guardianos, et Syndicos cum reis colludentes exigere culpabiliter neglexerint, a Praelato Generali, causa prius per Commissarium specialiter delegatum, vel per provinciae Visitatorem instructa, cognita, et discussa, suis officiis irremissibiliter privandi sunt, et ad ea, ac similia in posterum obtinenda inhabiles declarandi. Ibidem.

292 Quod ut Ordo facilius, ac severius consequatur, Commissarius Visitator in cujusque conventus visitatione de hoc articulo praecise exquirat, et in Provincialis syndicatione rationem exigat. Ibidem.

§. II.

De Syndico Apostolico.

293 Syndici Apostolici usus non est dispensatio in regula, sed modus a Romanis Pontificibus provisus pro puriori illius observatione, sive assumatur Syndicus ad praescriptum Nicolai III, et Clementis V; sive secundum constitutiones Martini IV, Martini V, ac Pauli IV prout Syndici usus in singulis Familiis, aut Provinciis respective fuerit receptus. Tolet. 1606. et 1633. Innocent. XI. *Solicitud.*

294 Syndicum nominare, et instituere, atque etiam nominatum, et institutum destituere, ad Praelatum Generalem, vel Provincialem pertinet, sive etiam ad Custodem, ubi Fratribus, et locis Custodiae nomine praeest. Ipsi autem Syndico liberum est alios, quos, et quales voluerit, substituere ad ea, quae officii sui sunt, vice sua explenda. Mart. IV. *Exultantes.* Mart. V. *Amabilis.* Vallis. 1593. Salm. c. 4.

295 Quilibet conventus, seu locus Syndicum, seu Procuratorem habeat. Apud eum sit omnis eleemosyna pecuniaria quoque modo adveniens, per ipsum, vel ejus substitutum pro Fratrum, et locorum necessitatibus, prout Superiores censuerint, insumenda. Guardianus, qui aliquam hujusmodi eleemosynam alibi habere repertus fuerit, proprietatis poenam subeat. Salm. Sup.

296 Sub eadem poena, nisi per dictum Procuratorem, vel substitutum, nihil emi, aut vendi possit: neque contractus, instrumenta, Ex eisdem.

vel cujusvis generis scripturae fiant ad pecuniae administrationem, usum-
Ib. c. 4. et 6. ve spectantes. Quod si aliquando scripturam a Fratribus oporteat fieri, talis sit, quae non dedeceat; veluti si Guardianus mere dicat pecuniam aliquam fuisse receptam.

Ex eisdem. 297 Admoneantur Syndici de natura, et conditione officii sui ad praescriptum concessionum apostolicarum, ut et ipsi rite agere, et Fratres sine offendiculo eis uti possint. In primis vero cauti reddantur, ne Fratres quosvis in his perperam se gerentes tueri, aut dissimulare velint; quin eos statim Superioribus denuntient.

Ex eisdem. 298 Cum Syndicis agant Fratres non jubendo, sed rogando, non tamquam domini cum servis, sed tamquam Christi pauperes cum benefactoribus suis. Quod si opportunum Syndico videatur eleemosynarum computa libro excipere, tali utatur forma, quae ex parte Fratrum nihil juris innuat.

C a p u t V.

REGULA. *Fratres illi, quibus Dominus dedit gratiam laborandi, laborent fideliter, et devote, ita quod excluso otio etc.*

§. I.

De labore, et laborandi modo.

Salamant. c. 5. Vallis. 1593. 299 Otium malorum sentinam, virtutis pestem, et vivi hominis sepulturam maxime detestantes, praecipimus, ut Fratres omnes, Clerici praesertim, et Laici per suos Superiores honestis, sibique competentibus laboribus occupentur. Qui notabiliter otiosi inventi fuerint, suffragiorum jure priventur, adjectis gravioribus, etiam corporalibus poenis pro negligentiae modo.

Ex eisdem. 300 Neque vero ad laborem manuum adstringimus, qui divinis officiis, et ministeriis addicti, Sacrae Scripturae, et bonarum artium studio incumbunt; cum hoc ipsum studium labor maxime honestus sit,
Vallis. Sup. Ordinisque perutilis. Ad ea tamen exercitia, quae de more omnibus praescribi solent, omnes convenire debeant.

Salm. c. 3. Rom. 1603. 301 Qui gratiam habentes laborandi, sportulas, pileos, chordas, coronas, et similia fabricare sciunt, ea nec venalia facere praesumant, nec sponte sua commutare. Atque ne id fraudetur effectu suo, statuitur, ut nemo aliquid hujusmodi facere audeat, nisi quod sibi a Superiore fuerit demandatum: opera vero statim ac perfecta sint, Superiori dentur, Fratribus, prout eis necesse fuerit, distribuenda. Qui contra fecerit, proprietatis poena puniatur.

Rom. 1615. 302 Aromatariis per sanctam obedientiam, et sub poena carceris praecipitur; ne pharmaca, vel quaevis alia in eorum officinis confecta, vel conficienda vendere praesumant.

303 Nemini liceat artem medicam extra Ordinem exercere, pharmaca praescribere, flebotomiam facere. Ministri super his invigilent, et delinquentes etiam carcere puniant. Salm. Sup. Rom. 1612.

304 Laboritia item, et negotia, quae ad honestatem non pertinent, et multo magis, quae aut regulae puritati, aut religiosae honestati adversantur, omnino prohibemus; atque in primis artem alchimiae tantopere detestatam, et alias quascumque doctrinarum, et artium suspectarum operationes, quae publice non docentur, aut doceri non licet, aut ab Ecclesia reprobatae sunt. Qui similia discere, exercere, docere, aut libros, vel scripturas talia continentes scienter retinere praesumpserit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. Qui talium reus judicatus fuerit, in carcerem detur, et suffragiorum jure perpetuo careat. Qui probabiliter, aut graviter suspectus, pro suspicionis modo arctetur. Salm. Sup. Vallis. 1593.

305 Honesti laboris merces, si pecuniaria fuerit, persolventes Syndico Apostolico tradatur: si non fuerit pecuniaria, laborantes ipsi totam Superiori tribuant, vel tribuendam curent ad communem conventus utilitatem. Contra qui fecerit, proprietatis, aliisque, pro contumaciae modo, poenis puniatur. Salm. Sup. Victor 1694.

306 Puerorum, vel saecularium personarum scholas sive in conventu, sive extra regere nemo audeat, sub poena privationis actuum legitimorum. Salm. Sup.

307 Nemo per se, vel per alium sibi, vel alteri Fratri procurationem negotiorum pro Regibus, Principibus, Praesulibus, Communitatibus committi curet. Qui fecerit, vel suam cum personis extra Ordinem mansionem quaesierit, omnibus officiis indignus habeatur. Ibidem.

308 Abstineant insuper Fratres a negotiis saecularibus, neque talium judices, vel arbitri sint, vel in alia hujusmodi officia nobis indecentia se ingerant. Qui sine Ministri mandato contra fecerit, actibus legitimis privetur. Ibidem.

309 Detestabilem cujusvis generis alearum, et taxillorum ludum religiosae pietatis, et disciplinae gratia districtius inhibentes, decernimus, ut si quis aleis, taxillis, aut etiam latrunculis ludere ausus fuerit, et de eo legitime constiterit, carcere puniatur Superioris arbitrio, et suffragiorum jure triennio careat. Vallis 1593.

310 Animi tamen honeste recreandi causa, maximi caloris, et carnisprivii tempore, latrunculis ludere permittimus, atque indulgemus; modo pietatis opera, et praecipue quae ad divini cultus rationem quovis modo pertinent, non omittantur; aut ne hujusmodi recreationibus illecti, graviora negligant; vel proinde tumultus, aut contentiones fiant. Eo etiam tempore, ut religiosae circumspectioni undequaque provisum sit, ne saeculares intra monasteriorum septa admittantur, locorum Superioribus pro eorum munere diligenter curandum erit. Ibidem.

§. II.

De Studiis.

Clem. VIII. *Decet.* Salm. c. 5. Vallis. 1565. Rom. 1587. Neap. c. 50. Rom. 1603. Salm. Sup.

311 Sacrarum, humanarumque literarum studia, quae suapte natura, si fuerint cum pietate conjuncta, sanctam sibi vindicant honestatem, et Ecclesiae Dei, ac Religioni nostrae commoditati, et ornamento fuerunt semper, praecipua, et speciali cura excolenda, et confovenda sunt, ut sperati fructus suo tempore uberius colligantur. Hinc hortamur omnes, ut, quos ad studia idoneos viderint, eisdem pro singulorum capacitate omne auxilium, et favorem impendant.

Clement. Sup. Vallis 1593. Rom. 1603. et 1625. — Rom. 1612. 1625. — Rom. 1600. 1651.

312 Sint in qualibet Provincia studia humanarum literarum, philosophiae, ac theologiae in locis idoneis instituta. Quae Provincia tres ad minus conventus, in quibus dictae facultates legantur, cum necessariis magistris non habuerit, juxta Pii V constitutionem Provinciae nomine careat. Excipiuntur provinciae Ultramarinae, quae studia praedicta commode formare nequeant. Pro provinciis, quae Magistris egent, et pro studentibus provinciarum, quae in partibus infidelium sunt, Superiores Generales provideant.

Salm. Sup. Rom. 1615. — Tolet. 1633.

313 Ministri in suis provinciis super studiis diligenter invigilent. Guardianus, qui studium in ejus conventu a Definitorio decretum admittere, aut conservare renuerit, officio privetur. Lectores, et Studentes, qui constitutionum ad studia pertinentium transgressores fuerint, non tantum poenis earumdem constitutionum decreto taxatis, sed gravioribus etiam Superiorum Generalium arbitrio plectantur.

Clement. VIII. *de reform.* Rom. 1587. Vallis 1593. Rom. 1603. 1612.

314 Sacrorum canonum etiam, et casuum conscientiae lectio in singulis conventibus habeatur, ad quam Fratres omnes conveniant; eaque absoluta, mutua collatione circa explicatam doctrinam sese utiliter exerceant.

Tolet. 1633. — Tolet. Sup. Rom. 1612.

315 Sed et mysticae theologiae lectio semel saltem in hebdomada ubique fiat, cui omnes omnino interesse teneantur. Culpabiliter absentes, prima vice, indevotionis notam incurrant: secunda, propriam culpam coram communitate in proxima refectione agnoscant: tertia, e conventibus, ubi degunt, probrose ejiciantur. Superiores, qui dictae lectionis executionem non curaverint, vel quomodolibet impedierint, aut praetaxatas poenas infligere neglexerint, sint ipso facto officiis privati. Quae omnia servari quoque volumus de lectione regulae nostrae, per eos habenda, quos capitulum decreverit.

Rom. 1587. Neap. c. 50. Rom. 1603.

316 Cum certum sit, ex juventute nostra philosophicis, sacrisque literis bene erudita magnum decus, magnamque utilitatem Ordini nostro provenire, praeter alia ubivis erecta studia, pro intensiori, ac diligentiori juvenum eruditione specialia quaedam certis in locis institui placuit, quae ideo generales, et privilegiatae scholae dicerentur.

Tolet. 1645. — Urban. VIII. *Cum sicut.* Rom. 1587. 1603. 1642. 1651.

317 Philosophiae studia generalia in praecipuis Italiae locis erecta, quibus Superior Generalis de Lectoribus providere consuevit, in sua dignitate retinentur, et conservantur. Theologiae vero studiorum genera-

lium erectio ad Capitulum, vel Congregationem Generalem pertinet: qua quidem auctoritate non pauca identidem congrua adhibita locorum selectione instituta sunt, alia ad jubilationem dicta, et primae classis, alia mere generalia, et secundae classis.

318 Cumque ex motu proprio Urbani VIII theologiae lectio in ordine ad futuram jubilationem introduci non debeat, nisi ubi vigeant studia generalia, et formata: declaratur, nullum studium formatum et generale censendum esse, licet a Capitulis, aut Congregationibus Generalibus male forsitan aliquando informatis institutum, nisi in eo conventu, ultra Superiores, Lectores, ceterosque loci servitio necessarios Fratres, decem saltem studentes sacrae theologiae, partim Sacerdotes, et partim Clerici, vel etiam omnes Clerici, aut Sacerdotes, cum solita Provinciarum communicatione inter se arbitrio Superioris Generalis, ex consuetis eleemosynis sustentari valeant: et praecipue nisi, etiam hoc studentium habito numero, in eo loco sint alii conventus Regularium habentes studia, aut Universitates, unde cum extraneis scholasticae conferentiae haberi possint: salva tamen Superioris Generalis auctoritate providendi, et disponendi in casibus particularibus, quibus eum studentium numerum impediri contingeret. Urb. Sup. Rom. 1691.

319 In Provinciis Reformatorum, quae Lectores Emeritos admittunt, in eamdem rem duo esse debent theologiae studia per Superiorem Generalem una cum Discretis Generalibus Reformatis in praecipuis conventibus designanda. In quibus si unus tantum fuerit Lector, Studentes saltem quatuor esse debent: si Lectores duo, Studentes saltem sex: si tres Lectores, Studentes decem, vel minimum octo. Provincia, quae conventus non habet capaces talis numeri Studentium, privata declaratur privilegiis Lectorum Emeritorum: salva quidem, ut super dictum, Superioris Generalis in casibus particularibus auctoritate. Clement. XII. *Exponi nobis.* Rom. 1750.

320 Ut in omnibus scholis nostris legantur eodem tempore iidem tractatus, et materiae, tam pro Lectorum, quam pro Studentium utilitate, si ab uno in aliud studium transferantur, Superior Generalis Familiae pro tempore assignet, atque in elencho impresso ad provincias transmittat materias, et tractatus pro quolibet anno. Victor 1695.

321 Curae etiam vel maxime sint studia, seu collegia controversiarum, et linguarum, de quibus infra § VIII. Tolet. 1633. 1682 Victor. Sup.

322 Conclusiones ne imprimantur sine expressa licentia Ministri Provincialis: neque exquisitis iconibus affixae, et intermixtae sint, tametsi amicus quispiam spiritualis expensas suppeditet, sed simplici praelo, et juxta antiquum Religionis morem impressae. Illae ipsae quae in Capitulis, aut Congregationibus Generalibus, aut Provincialibus propugnandae sunt, quamvis magno Patrono dicatae, ne proponantur cum iconibus aere incisis, aut laminis quomodolibet sumptuosis, sed typis communibus editae. Qui secus fecerit, prohibetur eas defendere, privatur lectoratu, si jam obtinuit; sin minus, inhabilitatur ad obtinendum. Minister, vel Praelatus, qui contrarium permiserit, suspendatur ab officio ad arbitrium Superioris. Tolet. 1645. Rom. 1613. Tolet. 1658.

Elench. a. 1757. et consuet. 323 In omnibus artium, ac theologiae gymnasiis, a festo nativitatis Beatae Mariae Virginis, unde anni scholastici initium duci consuevit, usque ad festum S. Bonaventurae, lectiones, aliaeque scholae exercitationes continuo habendae, neque feriandum, nisi prout sequitur.

I A festo S. Petri de Alcantara usque ad diem secundam Novembris inclusive.

II A festo S. Thomae Apostoli usque ad primam Jannarii.

III A feria quinta post dominicam Sexagesimae usque ad feriam quartam Cinerum.

IV A Dominica Palmarum usque ad feriam quartam Paschae exclusive.

V Tribus Rogationum feriis, ubi quidem Fratres solemnibus locorum supplicationibus interesse solent, et quoad lectiones matutinas, et disputationes hebdomadales tantum. Lectio autem vespertina non vacabit; ac theologicam Lectores, ubi plures fuerint, per vices obibunt.

VI In festis de praecepto per annum occurrentibus; pariterque in festis S. P. N. Francisci, Sacrorum Stigmatum, S. Antonii, S. Bernardini, S. Didaci, S. Paschalis, S. Catharinae V. et M., et die octava Novembris.

VII Quinta cujuslibet hebdomadae feria, nisi in eadem hebdomada festum aliquod de modo recensitis occurrat.

324 Rei litterariae tutandae ac promovendae causa Superiori Generali liberum sit cuilibet generali gymnasio aliquem probitate, et doctrina praecellentem virum, sacrae theologiae Lectorem Jubilatum praeficere, seu studiorum Praefecti titulo donare: cujus partes sint functiones scholasticas dirigere, Studentes, atque etiam Lectores monere, ad sua munia accurate obeunda excitare; eosdemque omnes, et singulos, secundum ea, quae a constitutionibus Ordinis, et a Superiore Generali pro tempore praescribuntur, in officio continere.

§. III.

De Studentibus.

Vallis 1593. Rom. 1600. 1691. 325 Quicumque ad studendum intra, vel extra provinciam destinandi sunt, a Ministris, et Diffinitoribus diligenti examine antea probari debeant.

Vallis. Sup. 326 Neque de una ad aliam facultatem cuiquam transire liceat, nisi per Patres in Provincialibus capitulis ad hoc specialiter delectos idoneus probetur. Neque ad theologiae studium quis admittetur, nisi philosophiae cursum cum profectu perfecerit, et a Definitorio provinciae quoad sufficientiam, et bonos mores approbatus fuerit. Cursum autem philosophiae declaramus esse trium annorum completorum; de quo studens Lectorum fidem in forma authentica exhibere teneatur.

Rom. 1639. 1679. 1691.

Neap. c. 28. Vallis. Sup. Rom. 1625. 1642. 1651. 327 Ad evitanda incommoda provenientia ex dimissione juvenum ad studia aliarum provinciarum, decernitur, neminem discendi gratia

ad alienas provincias mittendum esse, nisi ad petitionem Definitorii provinciae suae, vel ex urgenti necessitate, aut ad studia generalia tantum.

328 Provinciales vero sub poena suspensionis ab officio per bime- Rom. 1679.
stre non permittant suos religiosos ad studendum in alias provincias pergere, nisi prius eos cum toto, vel parte Definitorii, vel, eo absente, cum aliquibus Lectoribus examinaverint: et si quos idoneos non reperiant, eorum insufficientiam Praelatis Generalibus repraesentent, nec sine novo ejusdem ordine licentias eundi permittant. Quos autem aptos invenerint, dimittant cum testimonio de examine, et approbatione; sine quo, aut novo, et speciali Praelati Generalis mandato Superiores provinciarum, ad quas mittuntur, non possint sub eadem poena eos recipere, sed protinus ad suas provincias remittant.

329 Clerici Reformati studiis vacent in sua quisque provincia, in- Rom. 1676.
terdicto illis transitu ad alienam.

330 Studentes generales teneantur omnes convenire nocte ad ma- Rom. 1575.
tutinas preces, ut Domino se commendent, a quo est omnis sapientia.
Qui defuerit, prima vice careat medietate portionis vini; secunda, aut Neap. c. 50.
tertia, sola aqua ei in refectione detur. Ab horis vero Primae, et Com- Rom. 1587.
pletorii exempti sint. Sed cum erunt vacantiae, choro insistent univer- Vallis. 1591.
si. Sint etiam exempti a Missis extra conventum, exceptis casibus manifestae necessitatis: neque concionari, vel sacras confessiones audire
possint. Vacabunt autem primum orationi, et bonis moribus; secundo Rom. 1575.
studiis, ita quidem, ut devotionis spiritum non extinguant; atque ita se gerant in omnibus, et erga omnes, ut Deo, et hominibus grati,
Ecclesiae Dei servire utiliter possint. Ministris Provincialibus curae sit Rom. 1651.
assignare tempus, quo Studentes vacare queant exercitiis literariis, et non abesse a choro.

331 Unusquisque vicis suae ordine conclusiones sustinere debeat. Rom. 1575.
Qui renuerit, studio privetur judicio Superioris Generalis, quem Lectores de hac studentium negligentia, vel resistentia praemonebunt. Omni- Rom. 1587.
bus quoque literariis exercitiis intersint, et intendant: quique sine legitimo impedimento facere neglexerit, subjiciatur disciplinae, aliisque arbitrariis poenis.

332 Porro ne tempus, aut locum inaniter occupent, nemini stu- Clement. VIII. *Decet.*
dentium facultas detur exeundi propter negotia particularia, aut etiam Rom. 1603.
conventus, nisi eumdum foret in comitatu processionum funerum, aut Rom. 1639.
similium, vel pro gravissima causa a discretis conventus approbata: quo Rom. 1603.
quidem casu Guardianus solum, vel ejus Vicarius studentem secum du- Clem. Sup.
cere poterit. Quare nemo alius quotuscumque studentium aliquem pro socio assumere possit ad eundum extra conventum; et qui contra fece-
rit, suo officio privatus intelligatur. Neque Guardianus extra mittere Rom. 1651.
eos possit, nisi in gravi necessitate. Bis tamen in mense eisdem exire Rom. 1587.
liceat comite Novitiorum Magistro, vel alio graviori Patre a Guardiano Neap. c. 50. Rom. 1612. 1639. 1651.
designando.

333 Superiores ne obstent, quin studentes commodis, et privile- Clem. Sup.
giis gaudeant per statuta generalia concessis. Neque vero tali praetextu Rom. 1603.

cum a Superiore aliquid eis, licet contra ipsorum immunitates, ordinatum fuerit, obedientiam detrectent. Sed neque Lectores ipsi, de his supplicati, repugnare audeant: deinde vero apud Ministrum Provincialem conqueri poterunt, ut, si aequum fuerit, in superiorem localem animadvertat.

Salm. c. 3. Neap. c. 50. Vallis. 1590. Clement. VIII. *Decret.* Rom. 1642. 1651. 1679. 1688.

334 Praelati de rebus ad studia necessariis studentibus provideri diligenter curent. Studenti in aliena provincia ejus propria de vestimento, aliisque necessariis provideat modo regulae nostrae consentaneo. Onus autem providendi Ministro imponitur, qui ex communibus provinciae eleemosynis ad judicium Definitorii colligendis huic obligationi satisfaciat, sub poenis impositis per statuta generalia Praelatis non providentibus subditis de necessariis.

Neap. et Vallis. Sup.

335 Si quis in studio generali extra provinciam insolens, aut negligens fuerit, de ejus demeritis certior fiat Superior Generalis.

Rom. 1571. Tolet. 1606.

336 Omnes studiorum causa extra provinciam degentes, legitimo expleto tempore, a Ministris, sub quorum obedientia student, remittantur cum laudabili obedientia, si meruerint. Qui vero ultra quatriennium in sacrae theologiae studio permanserit, et publicas conclusiones non sustinuerit, aliasque publicas functiones de more non fecerit, a Provinciali, sub poena privationis officii, omnino remittatur ad propria, et extra studia locetur.

§. IV.

De Lectoribus in genere.

Neap. c. 50. Vallis. 1593. Rom. 1639. et 1691. Victor. 1694.

337 Nullus studentium Lector institui possit, nisi quatuor indispensabiliter completis annis theologiae studuerit, conclusiones generales publice defenderit, communique, et scripto singulorum Lectorum authentico testimonio, doctrina, et morum integritate probatus sit. Excipitur casus, quo Superior Generalis ad quatuor ad summum, vel sex menses cum aliquo rari ingenii, et certae expectationis studente censuerit dispensandum: quam tamen gratiam non sine magna ponderatione concedi rogamus. Ex Reformatione nemo nisi ad menses, ut modo dictum, dispensari queat, habito vero Provincialis judicio, et attestatione de excellente ingenio dispensandi, sub nullitate institutionum aliter factarum. De ipso autem nominis, seu tituli Lectoris usu erit propria praescriptio §. de titulis.

Rom. 1651.

338 Quaelibet provincia facultatem habet instituendi pro se ipsa Lectores artium, nec non sacrae theologiae in Capitulo, aut Congregatione Provinciali juxta meritum doctrinae, et morum Fratrum instituendorum.

Vallis. 1593. Rom. 1661.

339 Si qua provincia Lectores, qui sufficiant, non habuerit, per ejus Ministrum Generalis Praesul moneatur; qui pro sua pietate, et paterna solicitudine, ut communis Pater, providere curet.

Vallis. Sup. Rom. 1587. 1600. 1651.

340 In studiis Lectores deputentur moribus, et scientia commen-

dati, digniores, aptioresque: Provinciales quidem a Ministro, et Definitoribus praevio examine probati, Generales autem a Generali Praesule studiose delecti.

341 Hoc vero examen, atque is delectus omnino, et indispensabiliter per concursum, seu per oppositionem fiat, sic, ut nemo ad lecturam sive artium, sive theologiae promoveri possit, nisi praevia oppositione, et per ejus omissionem actus irritetur.

Victor. 1694. Rom. 1732.

342 Oppositionis autem haec erit forma. Unusquisque concurrentium coram Judicibus, vel examinis Praefecto sortietur disputationis puncta, et uno ex tribus, quod magis placuerit, accepto, spatio vigintiquatuor horarum ad illud explicandum se praeparabit. Quo elapso tempore, datoque signo, in aula disputationis, coram Patribus ad judicandum specialiter assumptis, caeterisque concurrentibus, proponet argumentum, et per semihoram de illo disseret: tum ex aemulis duo, sorte prius accepti, unus post alium, contra disputabunt.

Ex Rom. 2651. Victor. 1694. Rom. 1723. Valent. 1768.

343 Omnibus auditis, unusquisque Judicum seorsim judicium suum in schedula describet. Faciet autem, (ut jam in more positum est) per numerum punctorum decem, Candidatis pro eorum merito puncta plus minus tribuens. Puncta decem optimum significant, et lecturae praemio prae aliis dignum: puncta octo sufficiunt, ut quis idoneus, et lecturae capax censeatur: quivis vel minimus defectus a punctis octo a praemio excludit. Itaque nemo censebitur expeditus ad consecutionem ullius lecturae ad certamen propositae, nisi tot omnino puncta perceperit, quot exurgunt, dum quisque Judicum octo attribuat: puta, si Judices sint numero sex, ad inclusivam, ut ajunt, puncta octo et quadraginta requiruntur. Schedulae a singulis manu propria subscriptae, et clausae ad Superiorem mittendae sunt, qui eas coram duobus, aut tribus Patribus attente recognoscet; punctisque omnibus in summam actis, ex iis, quos inclusivam obtinuisse constiterit, ad lecturas vacantes, vel a die acti concursus infra annum vacaturas gradatim assumet, quos uberiorem punctorum numerum percepisse viderit.

Ex eisdem.

344 Statuta, quae Definitores in Lectorum institutione, et examine judices adhiberi volunt, intelligenda sunt, quatenus iidem, aliique similiter ad judicium vocati, sint periti, hoc est philosophiam, ac theologiam legerint, seu docuerint: alioquin Superiores Generales, vel Provinciales cum consilio, et assensu duorum saltem digniorum provinciae Patrum peritos deputare debeant.

Tolet. 1682.

345 Judicibus religio sit aliter suffragari, quam ferant concurrentium merita: quique violatae aequitatis rei detecti fuerint, Superiorum Generalium arbitrio puniantur.

Tolet. 1633. Rom. 1651.

346 Praecipimus Lectoribus universis, ut in legendi munere Doctorem subtilem ducem sibi statuant, et magistrum, et ad ejus mentem omnino doceant; omissis materiis prolixis, ac minus utilibus, ut praescripto tempore generalem totius scholasticae disciplinae cognitionem studentes comparare possint: neque vero ex Scoto solum, sed, quod primum est, ex Scriptura, Patribus, et Conciliis, tum ex caeteris

Vallis 1593. Rom. 1615. Tolet. 1633. Rom. 1651. Rom. 1691. Victor. 1694.

Scholasticis eruditionem captent : et disputationes , repetitionesque maxime utiles non omittant.

Salm. c. 9. Vallis. 1565. Mant. 1762.

347 Eisdem , imo Fratribus etiam quibuscumque in virtute sanctae obedientiae , et sub excommunicationis latae sententiae poena praecipitur , ne publice , vel privatim docere , defendere , vel approbare audeant doctrinam , conclusionem , vel sententiam aliquam erroneam , in fide suspectam , bonis moribus contrariam , aut alia simili , vel graviori censura dignam ; vel talia docentibus , defendentibus , approbantibus favere , aut eisdem familiariter uti. Caveant vero a nimia opinandi licentia praecipue in doctrinis ad mores pertinentibus Ordini nostro perpetuo exosa : quare innovatis , confirmatisque decretis alias conditis de studiosa selectione hac in re adhibenda , sententias tutiores , et probabiliores docere semper , et amplecti , omnino autem Sedis Apostolicae decreta respicere , seque illis conformare debeant.

Rom. 1679.

348 Lectoribus in aliena Provincia legentibus , illa ipsa , in qua legunt uti propriis filiis facere solet , sub poena Praelatis imposita , a quibus subditi de necessariis non providentur , vestimentum tribuet.

§. V.

De Lectoribus Philosophiae.

Rom. 1679. Rom. 1688.

349 Artium Lector institui non possit , qui sacro Praesbyteratus Ordine insignitus non est. Unus vero dumtaxat sit pro quolibet philosophiae studio , seu seminario ; nullusque etiam in studiis generalibus instituatur secundus Lector , sub poena suspensionis officii ipso facto per trimestre Superioribus Provincialibus aliter permittentibus , vel facientibus.

Tolet 1633. Rom. 1651. 1679. 1691. Victor. 1694.

350 Omnes etiam instituantur praevia , ut ante innuimus , oppositione publica , per quam de illorum idoneitate certo constet. Hac non servata conditione nullus censeatur valide , ac legitime institutus , eique lectura neque ad jubilationem , neque ad gradum sexennalem computari possit.

Rom. 1651. 1679.

351 Pro studiis provincialibus oppositio fiet a peritioribus scholasticis , et moribus , ac doctrina probatioribus , nemine , qui studia praerequisita perfecerit , excluso , nisi aut imperitia , aut morum pravitate inhabilem esse notorie constet.

Ex eisdem.

352 Judices erunt Minister Provincialis cum integro Definitorio , Patres Exprovinciales , et duo Lectores Jubilati , vel Emeriti antiquiores. Minister conventum designabit , ubi Judices commodius convenire possint : tum servatis , quae in hanc rem superius dicta sunt , quos suffragiorum numero vicisse constiterit , Lectores instituet.

Ex eisdem. et consuetud.

353 De concursu autem pro studiis , seu seminariis generalibus Superior Generalis pro sua sapientia disponet.

Vallis 1593. Victor. 1694.

354 Teneatur philosophiae Lector praescriptis diebus , et temporibus legendo , eosque auctores interpretando , quos ad Scoti doctrinam utiliores , et commodiores esse cognoverit , integrum cursum philosophi-

cum triennio absolvere, per hebdomadas, et menses facere cum suis auditoribus exercitia literaria defensionis thesium, et singulis annis, vel saltem ad finem cursus impressas publice defendere, externis praesentibus, et opponentibus. Qui horum quidpiam praetermiserit, theologiam legere non possit, et ad concursum lecturae theologiae non admittatur.

355 Omnino autem meminerit, se facultatem profiteri theologiae famulam. Itaque philosophiam tradat, qualem ab ecclesiastici ordinis, et religiosi status hominibus coli decet; missisque inutilibus, et vanis quaestionibus, plurimi faciat eam philosophiae partem, quae est de morum scientia, et, quae ad theologiae aditum necessaria sunt, atque utilia, in primis curet. Ex Vallis. Sup.

§. VI.

De Lectoribus Theologiae.

356 A lectura artium ad legendam theologiam nullus promoveatur, nisi juratas exhibuerit attestationes morigeratae vitae, servataeque disciplinae regularis in lectura philosophica, subscriptas a Guardiano, et Discretis conventus, in quo artes perlegerit, neque vero subscribendas, si Lector ob defectus in regulari vita commissos a conventu, aut lectura legitime amotus fuerit. Producentur insuper a promovendo attestationes pariter juratae, quod philosophiam, traditis per partes, quae ad eam pertinent, triennio legerit, et cum profectu studentium, publiceque defensis thesibus, cursum absolverit. Qui hisce attestationibus muniti non fuerint, ad examen admitti non possint: et, nisi praevio examine, et oppositione, neque Superior Generalis in studio generali, neque Provincialis in provinciali quemquam ad legendum destinare valeat, sub nullitate facti, et depositione promoti: et de hoc puncto in Generalium, et Provincialium syndicationibus peculiaris ratio habeatur. Item qui theologiam in studiis provincialibus actu legunt, sine examine et oppositione, ut supra, assumi nequeant ad eam legendam in studiis generalibus. Cum Lectore tamen Seminarii Aracoelitani, post plurium publicarum thesium defensioni praestitam assistentiam, circa examen dispensari possit. Rom. 1691. Neap. c. 50. Vallis. 1593. Rom. 1612. 1651. 1691. Victor. 1694. Vallis. 1768. Victor. Sup.

357 Similiter in Reformatione ad legendam theologiam nullo modo assumantur Lectores per privatum examen, sed per oppositionem dumtaxat, et concursum coram pleno Definitorio, sive in Capitulis, et Congregationibus, sive alias quavis ex causa collegialiter congregato. Mant. 1762.

358 In studiis ad jubilationem, seu generalibus primae classis tres instituantur Lectores. Neque vero hic numerus augeri unquam possit: et si quis favorum violentia quartus Lector institui procuraverit, ultra poenas recurrentium ad favorem saecularium, lecturae quarto loco exercitae tempus computari eidem non possit pro jubilationis, vel paternitatis sexennalis gradu, et patentes literae contra tenorem hujus statuti tempus computantes irritae sint, habeantque alii Lectores, et Patres sexennales expeditum jus contra eas: siquidem lecturae praemium datur Clement. VIII. Decet. Rom. 1642. 1651. 1654. 1679. 1688. Victor. Sup.

vel maxime pro communi studentium profectu; quos simul addictos servitio chori, et conventus, experientia constat, quatuor quotidie lectionibus proficere non posse.

Rom. 1664. 1679. 1688. Victor. Sup.

359 In aliis studiis generalibus, et provincialibus duo Lectores sint: idque ut inviolabiliter in provincialibus servetur, tertio in eis Lectori decernitur nullam dandam esse praecedentiam, lecturam illi non prodesse pro paternitate sexennali, et patentes literas, quas contra, vel praeter tenorem hujus statuti expediri contigerit, nullius roboris esse.

Vallis. 1670.

360 In Reformatorum studiis Lectorum numeri servanda proportio cum numero studentium, ut supra num. 319. Lectores autem usurpare sibi non possint titulum, aut nomen Lectoris Generalis: prout neque eorum studia Generalia dicuntur, aut sunt.

Rom. 1642. Rom. 1688. Victor 1794.

361 Nullus ad legendum in studiis primae classis destinetur, qui prius alibi per sexennium, vel tribus saltem, aut quatuor annis laudabiliter non legerit, nisi Superior Generalis pro sua prudentia, et conscientia cum aliquibus praeclari ingenii Lectoribus pro majori studiosorum profectu, et Ordinis decore super hoc censuerit dispensandum, et salva declaratione Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium de anno 1669 in favorem Lectoris Seminarii Aracoelitani.

Rom. 1651. Victor. 1694.

362 Lectores non discedendo a methodo praescripta a san. mem. Clemente VIII legent theologicas materias juxta methodum modernorum, ad aures subtilis Magistri, et ad normam elenchi a Superiore Generali pro tempore praescribendi.

Rom. 1651, Rom. 1688.

363 Legent autem omnes indefessa manu, diebus singulis conferentias habebunt, singulis mensibus conclusiones publicas, et singulis annis impressas. Provinciales salutaribus poenitentiis Lectores etiam Generales negligentes corrigant, et, ubi non sit emendatio, denuntient Generali pro majori poena. Generalis per Commissarios Visitatores, et per alias vias enixe inquirat de Lectorum assiduitate, exercitiis literariis, vita, et moribus; et quos reos cognoverit, loco submoveat, ne indigni habeant proemium jubilationis.

Valent. 1768. St. Ref. c. 8. n. 61.

Neque vero aliud officium obtinere possint cum legendi munere incompatibile; qualia sunt officia Guardiani, et Secretarii.

Rom. 1676. Rom. 1612.

364 Lectores Generales socium, de corpore tamen studii, habere possint; non vero Clericum.

Rom. 1679. Vallis. 1740. Rom. 1750. Clem. XII. *Exponi n. bis.*

365 Theologiae Lectores actu legentes praecedant Curiae Romanae, et Provinciarum Secretarios, Exdefinitores, et Excustodes, non obstante quacumque contraria consuetudine.

Rom. 1642.

366 Qui sex annis theologiam legerit, connumeretur inter eos, qui Definitoriatus officio functi sunt, ad tenorem utique statuti Romani 1651 de Patrum aggregatione. Qui vero in studiis generalibus legerit annis decem, jubilationis gradum consequatur, de quo §. sequente.

Rom. 1603.

367 Annorum numerus compensari non possit legendo bis in die, ita ut hoc praetextu annum unum computari velint pro duobus; sed servari debet statutum ad literam.

Rom. 1723. Dec. Min. Gen. 6. April. 1745.

Interpolationes vero, si unquam fiant, arithmetice suppleri debent, sub nullitate jubilationis, vel aggregationis;

atque hoc modo supplendae intermissiones ipsae, quas fieri contingat occasione suffragii in Capitulo generali, vel visitationis a Superiore commissae. Tempus autem, quo quis loco alterius in studio generali legitime do- Rom. 1750.
cuerit, eidem ad jubilationem jure computari debet.

§. VII.

De Lectoribus Jubilatis, et Emeritis.

368 Theologiae lectio in ordine ad futuram jubilationem introduci Ex Rom. 1603. Clement. VIII. *Decet.*
non potest, nisi ubi studia formata viguerint, et generalia, a Capitulo, Urb. VIII. *Cum sicut.*
vel Congregatione generali instituta.

369 Ut autem quis ad jubilationem admittatur, authentice consta- Urb. Sup.
re debet, quod philosophiam tres annos, ac theologiam decem continuos, vel, si intermissio facta fuerit, arithmetico intermissi temporis supplemento compensatos legerit in studiis generalibus, ac triennio sal- Rom. 1642.
tem in eorum aliquo, quae proprie ad jubilationem, seu primae classis dicuntur. De his publica, et authentica attestatio quotannis fiat a Urb. Sup.
Guardiano, et Discretis manu propria, et juramento firmata, conventusque sigillo obsignata, servanda in publico archivio conventus, ibique cum opus fuerit, reperienda. Qui sine praedictis conditionibus ad jubilationem admissi fuerint, eo ipso nulliter Jubilati censeantur.

370 Lectores jubilati rite instituti libere, licite, ac valide utuntur, Innoc. XI. *Exponi nobis.*
et gaudent omnibus, et singulis praerogativis, praeeminentiis, privilegiis, gratiis, et indultis, quibus aliorum Ordinum Doctores artium, et in Sacra Theologia Magistri, tam de jure, usu, et consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, et gaudent, ac uti, et gaudere possunt, et poterunt in futurum.

371 Item, quia ex apostolica sententia duplici honore digni sunt, Neap. c. 50. Vallis. 1593
qui in evangelio laborant; eorum etiam privilegiis, exemptionibus, et prae- Rom. 1603.
rogativis in omnibus, et per omnia gaudeant, quibus illi gaudent, qui Clem. Sup. Urb. Sup.
ministeriatus officio functi sunt: hac tamen adhibita limitatione, ut in Rom. 1659.
singulis provinciis pro unoquoque studio generali duo tantum Jubilati permittantur, et quolibet deficiente, succedat, qui lectionis cursum prius absolverit.

372 Reliqui vero, si qui fuerint, praecedant Lectores Generales, Victor. 1694.
et Excustodes salvo illorum jure, qui in Capitulo Generali suffragati Clement. XI. *Exponi nobis.*
sint: inter se autem, caeteris paribus, locum servent pro antiquitate Victor. Sup.
jubilationis. Item, titulum habeant Jubilatis de numero competentem, absque jure subrogandi, nisi eis aliunde competat.

373 Jubilati de numero, ut supra, praecedere debent alios quos- Dec. Sup. Gen. 1636. et 1716.
cumque ex gratia, et privilegio personali gaudentes eorum praerogativis, qui Ministri Provinciales fuerunt.

374 Extra provinciam tam Jubilati numerarii, quam reliqui sequun- Victor. Sup.
tur alios similes, in sua quique categoria.

375 In Reformatione qui theologiae Lectores ad paternitatem pro- Rom. 1688.

Tolet. 1682. Innocent. XI. *Exponi nobis.* vinciae admittuntur, nullo modo Jubilati, sed Emeriti dici debent; et paternitatem acquirunt, locum obtinendo immediate post eos, qui Guardiani Jerusalem, vel Secretarii Generales fuerunt, sed absque jure subrogandi; eaque etiam lege, ut unus tantum, nempe in expleto munere antiquior dicta praeeminentia gaudere possit. Provinciae tamen Germaniae, quoad jus subrogandi, more suo uti permittuntur.

Tolet. et Rom. Sup. Victor. 1694. 376 Cum autem privilegia concessa fuerint in virtutis remunerationem, et laborum praemium, Emeriti gradum assequi Lectores non poterunt, nisi ad tenorem statuti ea ipsa concedentis, integro saltem triennio logicam, et philosophiam, duodennio theologiam legerint; bis saltem in hebdomada repetitiones, et exercitia scholastica per argumentationes discipulorum inter se fieri curaverint; in fine cujuslibet mensis, extra consuetas vacantias, theses privatas defenderint, Lectoribus, seu discipulis aliarum Religionum ad arguendum invitatis; et bis in anno publicas conclusiones habuerint. Superiores locales de eisdem functionibus Lectoribus attestationes facere teneantur, a Discretis etiam subsignandas. Rom. Sup.

Clement. XII. *Exponi nobis.* 377 Item, legisse oportet in studiis ad hunc effectum designatis; ad quae pro ultimo sexennio non sunt admittendi, nisi per novum concursum, et oppositionem in capitulo provinciali, vel in congregatione intermedia explendam coram Definitorio, et Patribus provinciae in conventu existentibus, et legitima habentibus requisita.

Victor. Sup. Clem. Sup. 378 Item, lecturae duodennium decurrere debet sine ulla interpolatione. Lectores tamen, quos in cathedralibus ecclesiis tempore quadragesimae tantum concionari contigerit, interpolare minime censeantur.

§. VIII.

De Lectoribus Linguarum, Controversiarum, Canonum, etc. deque Ordinis, et provinciarum Scriptoribus, et Chronologis.

Rom. 1612. 1615. Tolet. 1633. 1682. Victor. 1694. Paul. V. *Apostolicae servitutis.* 379 Ut Praedicatores, ac Theologi linguarum notitia sacram eruditionem commodius, ac plenius assequi possint, atque ut Ordo noster, cujus fidei a divina clementia, et Sanctae Sedis benignitate sacra Palestinae loca a tot saeculis sunt commissa, et non paucae extra Palestinam sunt commendatae missiones, animarum saluti fructuosius incumbere ubique possit; linguarum, praesertim Hebraicae, Arabicae, et Graecae studia Superiores Generales tueri ac fovere, atque per idoneos Lectores a peritis coram se examinandos latius etiam promovere curent.

Clem. XI. *Commissi nobis.* 380 Linguae Arabicae in collegio romano Lector non admittatur, nisi Sacrae Congregationis de propaganda fide praevio examine, et approbatione: qui si Lector Jubilatus, vel Sexennalis fuerit, praecedet quomodo Lector controversiarum, ut infra: si tantum institutus fuerit Lector theologus, inter Exdefinitores locum habebit, juxta antiquitatem

habitus: si hac ipsa institutione careat, annum vero trigesimum compleverit, immediate post Vicarium: si anno trigesimo minor fuerit, inter Lectores artium cum praerogativis ex Ordinis statutis, et more competentibus.

381 Controversiarum in eodem Collegio actualis Lector, si Jubilatus extranumerarius ante fuerit, erit inter Jubilatos de numero ultimo loco: si fuerit sexennalis tantum, Exdefinitores omnes praecedet. Clem. Sup.

382 Hic ipse controversiarum Lector completo laudabiliter duodennio, si Jubilatus ante non fuerit, Jubilati extranumerarii gradum obtineat: si fuerit, expleto sexennio, censeatur inter Jubilatos de numero quoad praecedentiam tantum, sine jure subrogandi. Bened. XIII. Exponi nobis.

383 Linguae vero Arabicae, ut supra, Lector, si jam inter Exdefinitores locum habuerit, octavo completo anno, acquirat inter Excustodes: si alio gradu caruerit, eodem peracto tempore, Exdefinitor censeatur. Bened. Sup.

384 De Lectoribus canonum, regulae, et mysticae in capitulis, et congregationibus intermediis provideri debeat. Curandum vero, ut ad lectionem theologiae mysticae prae aliis assumantur, qui non solum doctrinae sufficientia praefulgent, sed etiam christianae, et religiosae perfectionis studio in primis ferveant. Ubivis autem eam explicent lingua vernacula, quatenus etiam simplicibus spiritualis vitae panis frangatur. Rom. 1612: Tolet. 1633.

385 Sed ne Lectorum numerus superflue augeatur: ubi tres sunt theologiae Lectores, semel in hebdomada primus legere debeat mysticam, secundus regulam, tertius casus conscentiae sub poena privationis lecturae: ubi duo sunt, etiam in studiis provincialibus, semel in hebdomada, et sub eadem poena, primus explicet regulam, alter casus conscentiae: ubi nullus theologiae, et solus est philosophiae Lector, is ipse, sub eadem poena, regulam semel in hebdomada explicare teneatur: abrogatis omnino in dictis locis Lectoribus particularibus mysticae, regulae, et casuum: et pro hujus statuti observatione, Lectoribus contra ejus tenorem institutis Fratres nullam praecedentiam dare debeant. Tolet. Sup. Rom. 1688.

386 Ad satisfaciendum autem respective decretis de lectione casuum, et mysticae in modo dictis conventibus: quo ad casus, locorum Superiores per se, vel per alios idoneos, et versatos suppleant: quod vero attinet ad mysticam, vel similiter faciant, vel saltem ex edito cujuspiam probatissimi Auctoris libro lectionem haberi curent.

387 In reliquis conventibus qui casuum lector fuerit, regulam quoque, ac mysticam legat. Tolet. Sup.

388 Sed in studiis primariis in constitutione Clementis VIII, et in actis Capituli Toletani 1658 expressis, in levamen Lectorum Generalium, possint Provinciales de consensu Definitorii ad tres illas lectiones obeundas alium destinare Lectorem theologum legitime institutum, qui, secundum statuta generalia Lectorem artium praecedat. Qui si mysticam, regulam, et casus, ut supra, annis decem sine intermissione legerit, vel, si intermiserit, intermissum tempus arithmetice suppleverit, gau- Rom. 1688.

deat praeemiuentis Patrum Aggregatorum, cum praecedentia inter eos a die iustitutionis; dummodo per legitimas attestationes constet, sine ulla vacatione praeter eam, quae decurrit a festo S. Bonaventurae usque ad festum Nativitatis Beatae Mariae Virginis, sedulo, et diligenter legisse. Quod ipsum de Lectoribus similiter institutis pro conventibus recollectionis statuitur, si eisdem tempore, forma, et tenore legeriut, salvis constitutionibus recollectionis.

Rom. 1750. 389 Conceditur Capitulis Provincialibus, sive Discretorio capitulari cum approbatione Definitorii, ut scriptoribus publicis, et praesertim Chronologis Provinciarum, postquam laudabiliter scripta duobus saltem tomis in folio typis vulgaverint, praecedentiam, et privilegia secundum cujusque laborem tribuant.

Rom. 1679. 390 Cum historia generalis Religiouis nostrae sit ei maxime proficua, ut labor in ea componenda proemio aliquo muneretur; Chronologus generalis Ordinis, post editum opus aliquod Generalis Ministri judicio laude dignum gaudeat titulo, et praecedentia Patris Provinciae immediate post Exprovinciales.

§. IX.

De bibliothecis et libris.

Vallis. 1693. Tolet. 1633. 1682. Innocent. XI. *Exponi nobis.* 391 Sit in quolibet conventu aliquis librorum numerus in eorum usum, et commodum, qui studiorum causa iudigent. Potissimum vero communium, seu formalium bibliothecarum conservationem, accretionemque Superiores curent.

Ex eisdem. 392 Hinc Provinciales Miuistri, sub poena privationis officiorum irremissibiliter incurrenda, defunctorum Fratrum libros in bibliothecas conventuum, in quibus decesserint, fideliter, et quamprimum transmitti faciant. Rom. 1612. Quod si in eis libri similes praeexistant, alterius conventus bibliothecae indigentiori applicent, eo ordine, ut prius locis consulant habeutibus studia literarum: instructis vero omnibus bibliothecis communibus, privatae in cellis Lectorum, et Praedicatorum constituantur, facto inventario, juxta quod eos recipiant, et restituant.

Neap. c. 24. Rom. Sup. Tolet. Sup. Innoc. XI. Sup. 393 Universi vero Superiores, et Subditi, sub excommunicationis poena ipso facto incurreuda, aliisque gravissimis Superiorum arbitrio infligendis, nullo modo neque per se, neque per Syndicum Apostolicum, quovis praetextu, colore, vel causa, alienent, vendant, commutent, sive aliter distrahant defunctorum Fratrum libros, aut eos, qui ad particulares bibliothecas quavis ratione pertinent; vel quovis modo, seu titulo fuerint monasterio acquisiti.

Tolet. et Innoc. Sup. 394 Tempore Capituli, vel Congregatiouis Provinciales Ministri communium bibliothecarum constituendos curent Bibliothecarios vel praedicationis munere praeditos, vel universali, et competente facultatum, libroromque notitia pollentes, qui libros disponant, ordinent, in classes redigant, purgent, reficiant, reparent, ac caetera praestent, quorum

executione bibliothecae vel amissum splendorem recipiant, vel obtentum retineant.

395 Earum libris uti possint Praedicatores praesertim, et Lectores, ea tamen lege, ut schedulam librorum numerum continentem, et accipientium manu subscriptam Bibliothecarius habeat, qui nisi ad mensem libros tradere non possit: quo elapso repetat, et bibliothecis ad reliquorum Fratrum usum restituendos curet. Bibliothecarius, qui restitutionis executionem omiserit, destituatur officio: Frater, qui reddere noluerit, alia librorum eductione careat. Ex eisdem.

396 Statuta pro bibliothecarum conservatione Superiores Provinciales, et Locales servari sub poena privationis curent: et sub eadem poena de illorum observatione Locales Praelati in singulis Congregationibus, et Capitulis per scriptas testificationes rationem reddant; idque intelligendum non solum de bibliothecis magnis, et formalibus, sed de aliis etiam quantumcumque parvis. Tolet. 1680.

397 Quae vero de bibliothecis formalibus Sixti V constitutione sancita sunt, exacte omnia serventur; cum moderatione tamen per Clementem VIII subinde facta. Vallis 1593.

398 Libri per Fratrem in aliena provincia degentem honesto labore, sive alias licite acquisiti, provinciae propriae acquiruntur. Hinc Fratre in aliena decedente, libri ad propriam redeant, per ejus Ministrum, ut supra, distribuendi. Salm. c. 6.

399 Librorum usus paupertatis statui omnino conveniat, pro cujusque officio, et ministerio. Nemo itaque plures habeat, vel habere possit, quam Generalis, aut Provincialis pro singulorum qualitatibus, et officiis necessarios judicaverit, vel concesserit. Neap. c. 24.

400 Nemo per se, aut per alium libros imprimi, aut publicari faciat absque Ordinarii, et Generalis scripta facultate. Generalis autem eam nemini concedat, nisi antea probis, et doctis viris examinandos, probandosque commiserit. Qui secus fecerit, actibus legitimis ipso facto privatus sit. Salm. c. 9. Tolet. 1645. Rom. 1654.

401 Sub eadem, atque etiam excommunicationis Praelato Generali reservatae poena, nemo, etiam vindicandi honoris praetextu, memorialia, relationes, libellos absque simili facultate imprimere audeat. Et quidem si causa scribendi totum Ordinem respiciat, Generalis Ministri facultas requiratur: si ad Familiam spectet, peti debeat a Praelato Generali familiae. Si autem agatur de negotio provinciae, quod moram non sustineat, et definitorio judice scriptum aliquod produci referat, eo casu Praelatus provinciae impressionis licentiam dare possit: idemque praestare valeant Officiales Curiae quoad scripturas in causis gratiosis, vel contentiosis ad Provincias officii sui pertinentibus, dummodo eas prius videant, et scripto approbent, cum onere reddendae rationis Praelato Generali, si quid imprudenter scriptum imprimi permiserint. Victor. 1694.

402 Qui sine tali facultate scripturam quamcumque imprimi fecerint; si in Pontificia, vel Caesaris, aut Regum, seu Principum curiis deliquerint, praeter praedictas poenas, perpetuae ab ea curia amotionis Ibidem.

poenam subeant: si extra curias, praeter ante dictas poenas, alias etiam Superioris Generalis arbitrio infligendas incurrant. Quibus etiam obnoxii sint Provinciales, qui extra praedictum casum, ac sine definitorii assensu aliquid imprimendi licentiam dederint; scholasticorum thesibus exceptis, quarum impressionis facultas, usus obtinuit, ut ad Provinciales pertineat.

Caput VI.

REGULA.

Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, etc.

§. I.

De rerum omnium abdicatione

Clem. V. *Exivi.* Vallis. 1593.

403 Beatissimus Pater Noster Franciscus ut Fratres suos eo facilius ad coelestia erigeret, quo magis a terrenis rebus alienos fecisset, eorum portionem dixit paupertatem altissimam; et nihil eis in hoc mundo sive in particulari, sive in communi proprium esse voluit.

Salm. c. 6. Vallis. 1693. Rom. 1503. 1615. 1625. Victor. 1694.

404 Hinc si in locis nostris terrulae, prata, viridaria, horti sint, nihil horum etiam per Syndicum apostolicum locari possit: neque haec ipsa frumento, vel alio cujusvis generis tritico excolantur, vel excoli possint, nisi forte oleribus, hordeo, fructibus, foeno pro Fratrum usibus, et eorum jumentis. Neque ligna, foenum, aut quae in hortis nascuntur, etiam per Syndicum vendi liceat. Qui contra fecerint, proprietatis poenam subeant. Vineae si fuerint, ad fructum, non ad vinum deservire debeant.

Rom. 1600. 1628.

405 Nulla a Fratribus capitulariter congregatis, aut alio quovis modo se habentibus publica instrumenta fiant, quibus transferatur dominium, aut proprietas alicujus cappellae, aut sepulturae, cum id nobis repugnare manifestum sit: quod si aliquando satisfieri oporteat piae fidelium voluntati, per modos regulae nostrae congruentes fiat.

Salm. c. 6.

406 Locorum Superioribus nihil pignori supponere liceat, nisi gravem ob causam, et de assensu majoris partis conventus.

Ibidem.

407 Nihil in locis nostris aureum, vel argenteum, sive alias pretiosum depositi nomine admittatur, nisi casus instet, quem Fratres vitare sine gravi incommodo non possint. Tum vero nihil fiat absque consilio Discretorum, et Superioris licentia, qui videant quidquid deponi contigerit, sciantque cui, et qualiter reddi debeat: et omnia sub scriptura authentica, vel deponentis sigillo, facta eidem protestatione, quod Fratres de custodia non tenentur. Res tamen deposita communi loco per Superiorem assignato servari debeat; et quo modo accepta fuit, eo ipso reddatur, accepta prius a Fratribus idonea cautione.

Salm. Sup. Vallis. 1593.

408 Fratri sub proprietatis poena ne liceat, absque licentia Mini-

stri, vel Guardiani, et scitu aliquorum Patrum conventus, res usui suo destinatas extra conventum deponere, neque de eisdem rebus eleemosynam dare, largiri, distrahere, alienare, commutare, aut pignori supponere, pro se, vel pro aliis debita contrahere.

409 Nemo etiam domum, aut locum sibi appropriet. Loci autem appropriator judicetur, qui acceptum discedendi mandatum per saeculares revocari curat; isque etiam, qui exteros Praelatos, aut subditos in loco nativo vel recusat, vel aegre sustinet. Qui in his deliquerit, ultra proprietatis poenam, a loco ipso statim amoveatur. Quod de loco dicitur, de cella quoque dictum, et constitutum censeri debeat. Ex eisdem.

410 Conventualitatis perpetuae privilegia personalia sunt nobis per constitutiones generales, et apostolicas repugnantia. Hinc si forte Superior Generalis conventualitatem hujusmodi cuiquam concedat; etiam cum clausula exclusiva, quod nulli inferiorum a loco assignato eum amovere liceat, quoad favorem religiosi collocati, vel collocandi erit omnino nulla; atque adeo licebit Superiori Provinciali Fratrem illum amovere, et alio destinare. Quia tamen collocatio ejusmodi in bonum potius religionis, quam religiosi a legitimo Superiore facta censeri debet; Praelato inferiori, sine causa boni saltem regiminis, a Fratris amotione abstinendum erit: sique rationabiliter amoverit, Generalem et amotionis, et causae certiorem reddere teneatur. S.C. 21 Apr. 1673 Dec. Min. Gen. 12. Maii 1685.

411 Nullus Fratrum audeat esse procurator ad exigenda legata, quaecumque illa sint, vel ad comparendum in judicio. Qui fecerit, carcere puniatur, et Praelati consentientes priventur officiis. Clem. V. *Exivi* Rom. 1612.

412 Indicitur accurata observatio constitutionum Venerabilis Innocentii XI incip. *Militantis, et Solicitudo*, in iis maxime, quae altissimam paupertatem respiciunt regula nostra praescriptam: et contra transgressores duplicantur poenae statutis generalibus in proprietarios, et paupertatis praevaricatores sancitae. Mant. 1762.

413 Inhibemus etiam, ne quis Superior per se, aut per Syndicum aut aliam quamcumque personam facere possit, ut aliquis ratione debiti cujuscumque, vel bonorum temporalium excommunicetur, detineatur, vexetur. Secus facientes ut proprietarii puniantur: Subditi vero, qui talia procuraverint, ultra proprietatis poenam, e conventu ejiciantur. Ultram. c. 3.

§. II.

De rerum usu, et communis vitae ratione.

414 Nemo quidquam habeat, vel adhibeat ut proprium, tametsi ad necessitatem concessum sit; illudque non *mei*, sed *nostri*, ut a Patribus nostris servatum accepimus, nomine vocetur: omnique supervacaneo, et inani rerum usu re, et nomine prorsus excluso, Fratres omnes, ac praecipue majores, quorum exemplo alii ducuntur, paucis, et humilibus contenti sint, sicut decet servos Dei, et paupertatis sanctissimae sectatores. Salm. c. 6. Vallis. 1565. 1593.

Conc. Trid. ses. 25 cap. 1. et 2. Clement. XIII. *de Reform.* Salm. Sup. Vallis. 1593. Victor 1694.

415 Omnes locorum proventus, quaestus, eleemosynae, omnia item a Fratribus justo labore, et quovis nomine acquisita, tametsi subsidia consanguineorum, et piorum largitiones sint, quaeque alia de causa obveniant (quae tamen instituto nostro non repugnent) omnia in communem usum, et utilitatem conferri debeant. Dona si cuiquam mitti contigerit, ad Superiores afferantur; nec quisquam recipiat, nisi sciente, et consentiente Superiore ipso: qui omni studio in id maxime incumbere debet, ut conventum a proprietatis vitio omnino immunem servet.

Rom. 1612. Clem. Sup.

416 Ne permittantur amplae cellae cum pluribus cameris, et adytis intro contentis, sed ad summum in aliqua una privata cella, magna de causa esse possit camera pro mansione, et alia parva pro cubiculo. Nullus vero cellas aut separatas a communi dormitorio, aut plures habeat; sed unica quisque cum ceteris aliorum Fratrum conjuncta contentus sit. Superior tamen, si officii necessitas ita exigat, de Generalis concessu alteram habere possit. (Clem. Sup. Rom. 1603.) In una vero, eademque cella duo simul esse nequeant, sed quisque suam sejunctim habeat.

Rom. 1676.

417 Nemo item, cujuscumque qualitatis, et conditionis sit, sub poena privationis actuum legitimorum per sexennium, cellam, nisi ubi est de familia habere possit; et Guardiani cellas Patrum in conventu suo de familia non commorantium, sub poena privationis officii, aliis sibi subditis concedant. Ministri vero in suis visitationibus, sub poena suspensionis officii per sex menses, haec omnia observari faciant.

Rom. 1600. 1612.

418 Caveant Fratres a curioso cellarum ornatu; neque aliam supellectilem quis habere audeat, nisi quam Guardianus concesserit: hic autem videat, ne aliquo colore, vel praetextu ampliorem, quam necessitas postulet, concedat. Ministri super id invigilent, interdicantque Fratribus imagines pretiosas, bibliothecas ostentationi potius quam utilitati inservientes, et similia. Superiores Generales de hujus statuti observatione sedulo, et accurate inquirant.

Vallis. 1593. Rom. 1625. 1676.

419 Guardiani singulis mensibus, duobus adhibitis discretis, visitent Fratrum cellas, et supellectilem universam attente scrutentur; et si quidquam repererint paupertati nostrae, apostolicisque decretis contrarium, aut libros profanos, et contra bonos mores, nostroque religioso statui indecentes, omnino amoveant. Negligentes in hujus statuti observatione pro negligentiae modo per Superiores puniantur.

Vallis. Sup. Salm. c. 6.

420 Quae autem ad usum singulis concessa sunt, quisque fideliter in inventarium referat primo quoque tempore Provinciali exhibendum. Ubi vero contigerit quempiam Superiorum concessu aliquo ire, et cellae, et arculae, si quam habeat, loci superiori, aut de ejus licentia alteri Fratri claves tradat. Qui contra fecerit, quique ex animo quidquam celaverit, proprietatis poenam subeat Provincialis arbitratu.

Vallis. Sup.

421 Eodem modo puniatur, qui ex communi, aut ex eo, quod alterius usui tributum sit, quidquam sibi furtim vindicaverit, quique ultra id, quod sibi a Superioribus permissum fuerit, quidquam habere praesumpserit.

Salm. 1618. Rom. 1679.

422 Mortuorum spolia per Superiores locorum, et Discretos fideliter in inventarium referantur Provinciali tradendum; nec ex eis quidquam sumere, aut aliis distribuere audeant. Provincialis autem viso inventario, de illis hoc modo disponet. Si Frater in infirmaria decesserit, eidem applicentur panni linei omnes, sive ex tela confecti; si extra infirmariam, applicentur communitati conventus, ubi de familia manebat, eidemque assignari debeant lanea vestimenta. Libri in ejusdem conventus bibliotheca reponantur. Si forte aliquid pecuniae reperiatur, Provincialis eam deponi faciat apud Syndicum Provinciae pro ejus necessariis sumptibus, communibusque indigentiis, sumpto a Guardiano et Discretis testimonio de quantitate, ad reddendam suo tempore rationem: idemque faciat, si quid aliud fuerit notabilis pretii. Picturae, si forte sint, in Sacrario locentur. Res minoris momenti inter Fratres ejusdem conventus de Guardiani consilio dividantur. Ministri, vel Guardiani, qui secus fecerint, suspensionem ab officio ad semestre subeant.

Vallis. 1593. Tolet. 1633.

423 Meminerint regulae nostrae professores, de rebus sibi ad usum necessariis non per alios, quam per Superiores providendum esse; ipsis enim de hujusmodi necessitatibus, pro variis locorum, temporum, et personarum conditionibus, judicium est commissum. Itaque dum opus fuerit, eisdem ultro aperiant necessitates suas; tum pro illorum judicio, per modos regulae consentaneos, congruam provisionem humiliter, et patienter expectent.

Ex eisdem.

424 Superiores autem primum in hujusmodi ferendo judicio regulae studiosi sint, prudentes, discreti: sciant rerum usum licitum, vel illicitum, moderatum, aut nimium: quae necessitas praesens, aut imminens, quae vera sit: paupertatis, quam sancte profitemur, statum expendant: tum de communibus eleemosynis, quantum per facultates licuerit, ita omnibus provideri curent, ut neque superflua permittantur, neque necessaria denegentur.

Trid. Ses. 25. c. 2. Clement. VIII. *de reform.* Vallis. Tolet. Sup. Rom. 1603. 1612. Tolet. 1682. Victor. 1694. Salm. c. 6. Vallis. Sup. Rom. 1603. 1625. Victor. Sup. Rom. 1732. Tolet. 1682.

425 Eamdem ob causam habeant ad continuum Fratrum usum communitates, per quas omnibus ad sufficientiam provideatur de habitibus, caputiis, tunicis, mantellis, caparonibus, cingulis, faemoralibus, aliisque lineis minoribus pannis: eoque communi loco serventur vestes omnes lineae, et laneae, aut cujusvis generis; constitutis, qui eas excutiendas, purgandas, et resarciendas diligenter custodiant, singulisque, prout usus postulaverit, distribuant; assignatisque in eamdem rem Praefectis; qui si recusaverint, vel minus quam sedulo, et ex charitate munus obierint, si Sacerdotes fuerint, privationem incurrant officiorum Ordinis ad sexennium; si vero Laici, ad idem tempus applicari nequeant ulli ministerio tamquam capita, neque Socii Confessariorum Monialium fieri, et ultimum in ordine suo locum teneant. Superiores Provinciales, et Locales, si in praefata destinatione, et executione poenarum desides fuerint, suis officiis privati censeantur.

Salm. Sup. Neap. c. 16. Rom. 1612. Tolet. Sup.

426 Singulis mensibus locorum Superiores coram Fratribus capitulariter congregatis per calculos, sive computa exacte, clare, atque omnino distincte rationem reddant, quo modo, et qua via eleemosynae

acceptae sint, et quibus item expensae. Ministri, quos in hujus statuti observatione negligentes repererint, officio destituant, et gravioribus etiam afficiant poenis pro negligentiae ratione: ipsique, si poenas non
Neap. Sup. exegerint, officii privationem eo ipso incurrant. Accepti autem, et expensi rationem Superiorum, et Procuratorum manu obsignatam locales Discreti saltem quinque, vel, ubi tot non sint, totidem familiae Fratres majores natu manu propria subscribant. Ubi vero Superioribus ad Provinciale Capitulum eundum erit, totius administrationis rationem diligenter, ut supra, conscriptam, et obsignatam a singulis Familiae Fratribus subscribendam curent. Qui neglexerit, officio destitutus, gravius etiam Provincialis, et Definitorum arbitrio puniatur.

Vallis. 1593 427 Quod si legitime constiterit, quemquam eleemosynas ad communem utilitatem erogatas in commune loci beneficium, vel necessarios Fratrum usus non convertisse, eisque ad illicitas largitiones, vel alio quovis modo abusum fuisse, praeter excommunicationis poenam Provinciali reservatam, ipsoque facto incurrendam, suffragiorum jure, omnibusque Religionis officiis, et gradibus perpetuo careat; atque etiam pro fraudis, et dilapidationis modo in carcerem tradatur.

Tolet. 1682. 428 In Reformatione similiter habeant Superiores locales librum, in quo parte una de die in diem distincte notentur eleemosynae pecuniariae, sive ex laboritiis, sive ex mera liberalitate provenientes, cum expressione nominis benefactoris, si nominari voluerit, sin autem, sub nomine N., et finis etiam, propter quem tribuuntur, puta pro fabrica, libris, et similibus: parte vero altera describantur, non confuse, sed sigillatim, et distincte expensae quotidianae, cum declaratione causae, ob quam factae sint: et constito de expensa facta, vel eleemosyna tributa, quae notata non sit, in eos procedatur tamquam in fraudatores, et dilapidatores. Hinc singulis mensibus, sub poena privationis officii irremissibiliter incurrenda, teneantur reddere computa coram tribus saltem Discretis conventus, quorum conscientia graviter oneratur, atque etiam coram Syndico Apostolico tamqnam dantium substituto. Quod si ob impedimentum Syndicus adesse nequeat, non ideo excusentur a redditione ipsa coram Discretis. Provinciales vero, si poenas contra negligentes non exegerint ut complices pari modo puniantur.

Salm. c. 6. 429 Caveant Guardiani, ne locum in debita onerosa inducant, vel induci permittant, absque Ministri consilio, et assensu. In Provinciali Capitulo de hac re perquisitio fiat, et delinquentes puniantur.

Rom. 1612. Rom. 1676. 430 Neque inconsultis Discretis rem alicujus ponderis ad alium conventum mittant, secus a Provinciali graviter puniantur: pariterque juxta decretum Urbani VIII poenas subeant, qui ad singularem aliquem Patrem, vel Fratrem dona miserint.

Vallis. 1593. Rom. 1612. 431 Communi loco, et tempore tum Subditi, tum etiam Superiores, prout per occupationes licuerit, comedant, et bibant; nec sine pia, et rationobili causa cuiquam extra communitatem comedendi fa-
Salm. c. 3 cultas detur. Communi item loco dormiant omnes, praeter hospites, et qui aegra valetudine laborant. Omnes etiam, atque in primis Prae-

lati, quorum maxime exemplo stat regularis observantia, in victu, Vallis. Sup.
vestitu, et aliis, quae ad vitae usum pertinent, communiter vivant; Salm. Sup. Vallis. 1565
nec quidquam inter Fratres differat, aut unus alteri praeferatur, vel 1593.
posthabeatur, nisi prout probatae necessitatis ratio suaserit. Qui autem Neap. c. 8. Rom. 1612.
in choro, in oratorio, in mensa, in vestibus, aliisque communem, ut Tolet. 1633 Trid. Sup. c. 1.
supra, vivendi rationem non servaverit, vel servare nequiverit, ad nul- Clement. Sup.
lum Ordinis officium, dignitatemque promoveri possit.

432 Nemo socium gratum habere possit, nisi cui per statuta con- Rom. 1603.
cessum est. Socius autem, cui conceditur, ei quidem deserviat in do- Salm. c. 8.
mesticis ac privatis necessitatibus; in reliquis vero Superiori locali sit Rom. Sup.
subjectus. Neque vero aut Clericus sit, aut anno vigesimoquinto minor. Clem. Sup.

§. III.

De Legatis, et Missis.

433 Per obedientiam injungitur, ne quis per se, vel per alium Salm. cap. 6.
quemquam inducat ad faciendam, vel ordinandam aliquam eleemosynam perpetuam, vel ad tempus sibi, vel alteri Fratri, aut etiam Ordini, vel Conventui exhibendam. Si qua vero ordinata fuerit, nullo modo a Fratribus, vel eorum nomine ab alio in judicio exigatur, vel exigi possit, nisi per modum eleemosynae. Qui contra ausus fuerit, scienter inducendo, exigendo, vel exigi faciendo, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat.

434 Legata, quorum directum dominium sortis principalis Con- Rom. 1603. 1612
ventibus, Provinciis, Fratribus, aut etiam eorum Syndico qua tali sit 1615. 1628. Victor. 1694.
adscriptum, ipso jure invalida, et nulla sunt: nihilque juris est Fra- Dec. Sac. Congr.
tribus, cur ea in favorem haeredum, aut aliorum quorumcumque renuntiare possint.

435 Quoties autem legata fieri contingat proprietate sortis a legan- Ex eisdem.
tibus in se, suisque haeredibus retenta, sive hospitali, collegio, loco pio, vel tertiae personae adscripta, ea lege, ut quotannis Fratribus certa detur eleemosyna vel omnino gratis, vel pro officiis, missis, aut alio pio opere nobis imposito: Guardianus per sanctam obedientiam protestari jubetur executoribus testamentariis, quod Fratres ad dictam eleemosynam ex vi legati nullum jus habent, neque ad opera illa obligari possunt. Tali autem, ex doctrina Sancti Bonaventurae, praemissa necessaria protestatione, si haeres sponte sua, et libere eleemosynam illam Fratribus sive cum onere, ut supra, sive etiam gratis dare voluerit; tum vero Fratres tuto, ac licite eam percipere possunt. Ea vero protestatio a Guardiano, et Discretis subscripta, et conventus sigillo munita ei tradenda est, qui testatoris voluntatem implere debet, atque etiam in libro conventus ad rei memoriam describenda. Hac itaque ratione tantum legata habere nobis permissum est.

436 Cappellanias, quas vocant, perpetuas per conventiones, et in- Vall. s. 1565.
strumenta publica admitti prohibemus. Quin etiam ad custodiendam so- Rom. 1600. 1612. 1615.

litudinem, quae plurimum spirituali vitae conducit, praecipitur, ne cappellaniae extra conventum habeantur, nisi ubi Principes, vel Communitates ex pia Ordinis dilectione Fratres nostros tantum celebrare velint: et nisi etiam agatur de oratoriis, vel confraternitatibus, quas fundaverint Patres nostri, et quarum curam longo jam tempore gesserint.

Rom. 1615. Rom. 1628.

Et ut inserviamus ecclesiis nostris, Sacerdotes ne mittantur extra ad sacrificandum, nisi urgentissima causa fuerit: et Provincialis arbitrariis poenis transgressores coërceat.

Urban. VIII. et Innocent. XII. S.C.Conc. 1708.

437 Ceterum ubique, et ab omnibus inviolate serventur decreta apostolica de celebratione missarum. Capsam vero pro earum eleemosynis Innocentiana Constitutione proscriptam, pro instituto, quod profitemur, nobis habere non licet.

§. IV.

De locis, et fabricis.

Salm. c. 6. Neap. c. 31. Rom. 1667. Clement. VIII. *Quoniam.* Greg. XV. *Cum alias.* Urban. VIII. *Romanus Pontifex* Innocent. X. *Instaurandae.* Vallis. 1593.

438 Loca de novo recipi non possint sine Provincialis, ac Definitorum consensu, scriptaque Generalis expressa facultate; cui etiam scriptus Episcopi, ac Sanctae Sedis Apostolicae assensus accedat: neque vero admittantur non servata distantia per constitutiones apostolicas declarata, et praecepta; quae quidem constitutiones pro hujusmodi receptionibus in primis attendi, et servari debeant.

439 Generalis autem receptionis facultatem non concedat, nisi ei legitime constiterit eo in loco duodecim Fratres honeste ali, et vivere posse; ut vel sic et majori pietate divini cultus ratio, ut par est, haberi, et faciliori modo regularis vitae disciplina conservari queat. Fratres autem eo non mittantur, nisi Provincialis ipse locum antea diligenter inspexerit, prudenterque censuerit, eos honeste, ac decenter posse ibi commorari. Neque hujusmodi loca Guardianatus titulo condecorari debeant, nisi ubi communitas in eccelsia, dormitorio, et refectorio ab octo saltem Fratribus rite servari queat, donec, et quousque praescriptus duodecim numerus impleri possit.

Trid. Sess. 21. de ref. c. 3. Clem. VIII. *De ref.* Urb. VIII. *De celeb. Missar.* Neap. c. 6. Vallis. 1593 Rom. 1600. Tolet. 1606. Rom 1612. 1676. Vict. 1694. Mant. 1762. Vallis. 1593.

440 Nullibi vero sint plures Fratres, quam qui ex consuetis eleemosynis honeste ali, et sustentari queant. Numerus hujusmodi pro quolibet conventu Provincialium, et Provinciae Patrum communi consilio, et consensu praescriptus in provinciali archivio servetur, vel in provincialibus statutis descriptus habeatur: eumque Provinciales non augeant, nisi communi Patrum consilio, et consensu, pro locorum, et temporum qualitate, et facultatum modo. Atque sub his conditionibus, ut fidelium exemplo, et regulari disciplinae melius sit, in tenuioribus locis augeri cupimus, et mandamus.

Rom. 1575. Paris. 1579.

441 Quoad collocationem Fratrum, in celebrioribus conventibus, et civitatibus, ceteris paribus, praeferantur viri literati, et docti, de probitate, et literatura judicium ferentibus Ministro Provinciali cum Definitoribus capituli. Cum tamen omnibus debitores simus, et animabus,

in quarum subsidium vocati sumus, non satis per nos consultum esset, si alicujus nominis Fratres omnes propemodum in urbibus degerent, in aliis vero locis non essent nisi simplices, et idiotae, qui petentibus salutare consilium dare nesciant: ideo Ministri providere teneantur, ut in quolibet conventu sit unus Praedicator, sive alius quispiam probus, maturus, et eruditus vir, qui populo satisfacere valeat; aequa in id utentes distributione, ne quis plus debito gravetur, sed unusquisque onus suum portet: et per sanctam obedientiam, et sub arbitrariis poenis id omnino servent, et servari faciant. Facultas vero degendi extra claustra nulli, nisi ex gravissima causa a Sede apostolica approbanda, concedi possit. Clem. Sup.

442 Ecclesias, et alia aedificia, quae, considerato inhabitantium Fratrum numero, excessiva merito judicari debeant, fieri prohibemus: Sitque in aedificiis cautio, ut conventus fenestrae, quae in vias publicas, aut in vicinas laicorum aedes prospiciunt, ita obstructae sint, ut omnino is prospectus impediatur. Salm. c. 6. Clem Sup.

443 Fabricam a praedecessore inchoatam nullus Guardianus, sub poena privationis, et carceris per mensem, sine scripta Ministri licentia, destruere audeat, vel mutare. Et quia non raro accidit, ut, dum minus considerate, virisque peritis minime consultis, sed proprio sensu, et voluntate fabricae fiunt, aedificia ipsa vel ruant, vel ruinosa sint, aut saltem inordinate constructa, unde et locis damnum evenit, et multi offenduntur: consulto decernitur, ut nihil novi, quod scutorum decem expensas excedat, sine scripto Provincialium concessu, in conventibus nostris aut aedificetur, aut destruatur. Provinciales vero, antequam licentiam tribuant, locum visitent, Discretos audiant, peritos adhibeant, nihilque aut construi, aut destrui permittant, quod illorum judicio non sit antea probatum. Contra qui fecerit, e loco pulsus, et officio privatus, gravius etiam puniatur Provincialis arbitrio. Rom. 1612. Neap. c. 31.

444 Arbores sive frugiferas, sive ad ornatum, sub amissione juris suffragiorum ad biennium, aut alia per Ministrum imponenda poena, incidere ne liceat sine scripta ejusdem Ministri licentia. Minister vero non concedat, nisi ad gravem, et determinatam causam: et loci Superior licentia non utatur sine praesentia, et consensu Discretorum. Salm. c. 4.

445 Sit in quolibet loco archivium claudendum duabus clavibus, quarum alteram Guardianus, alteram antiquior loci Discretus habeat. In eo servandae scripturae omnes quavis ratione ad locum ipsum pertinentes, quaeque ad constitutionum praescriptum in locali archivio servari debent. Guardianus, qui neglexerit, Provincialis arbitrio puniatur. Vallis. 1593.

Sed tamquam peregrini, et advenae in hoc saeculo etc., vadant pro eleemosyna confidenter.

§. V.

De eleemosynaram quaesitione.

Vallis. 1593.

446 Ad quaerendas eleemosynas Superiores locorum Fratres mittant, quos morum innocentia, et gravitate magis idoneos judicaverint: missi vero, sicut decet servos Dei, et paupertatis sanctissimae sectatores, cum omni humilitate, et fiducia, vitaeque inculpatae exemplo, eas diligenter conquirant, et fideliter afferant. Binos etiam, per civitates maxime, et oppida, mitti omni studio curetur.

Tolet. 1682. Rom. 1664.

447 Ministris ad finitimas Provincias, sine consensu interesse habentium, pro hujusmodi quaesitione mittere non liceat. Et ad mutuam servandam pacem, ab unaquaque Provincia serventur quaesitionum termini, ubi sunt: ubi vero non sunt, a Ministris una cum Definitoriis ex communi sententia constituantur.

Murc. 1856. Rom. 1676.

448 Ministri pariter, et Definitorii Provincialis est singulorum conventuum terminos praefinire; ultra quos neque Superiori locali, sub poena semestris suspensionis, quaesitum mittere, neque subdito, sub poena apostasiae, ire liceat. Praevaricatorum delatio ad Provincialem fiat, qui eorum quemlibet, ut perturbatorem quietis punire teneatur.

Rom. 1688. 1691.

Rom. 1625. Tolet. 1682. Rom. 1691.

449 Pacis item servandae causa interdicitur Reformatis eleemosynarum petitio intra limites conventuum Observantiae, sine scripta Ministri Observantium facultate; pariterque Observantibus intra limites conventuum Reformationis, absque simili eorum Ministri consensu, sub poena privationis officii Guardiano, et gravis apostasiae, exiliique e conventu Subdito, qui contra fecerit. Provincialis, qui hujusce statuti observantiam, et poenarum executionem neglexerit, semestrem ab officio suspensionem incurrat. Utrimque igitur standum omnino sit limitibus olim praescriptis, vel, ubi non sint, ab utroque simul Definitorio praescribendis. Ceterum haec dispositio loca respicit, in quibus soli sive Reformati, sive Observantes sunt: ubi enim simul conventus habent, utrisque intra limites indistincte quaerere licet.

Rom. 1700.

450 Cum ad eleemosynarum retributionem, gratique animi nostri ostensionem erga eos, quorum piis largitionibus sustentamur, usui sint Fraternitatis, sive Filiationis, ut vocant, literae; cumque in capitulo Lugdunensi 1518 inter cetera confirmata a Leone X statutum fuerit, quod hujusmodi suffragia non dentur nisi eis, quos Minister Provincialis, aut Custos, aut Guardianus in suis administrationibus nominaverint, qui utique nominare non debeant, nisi personas dignas, et bene meritas; itemque in Lavellensi 1505, quod nullus Commissarius dare possit hujusmodi literas in albo, sed solum ubi expressa sunt nomina; ni-

mia vero facilitas dandi easdem literas absque delectu personarum aestimationem minuat thesauri meritorum Ordinis nostri : instanter commendatur Praelatis Generalibus ; praecipiturque Provincialibus , ut dictis statutis se conforment , neque literas hujusmodi concedant , nisi eis tantum , qui judicio Praelatorum fuerint benefactores insignes ; nec eas unquam pro libito Fratribus distribuendas committant , sed illis dumtaxat quorum exprimenda in eis nomina judicaverint , atque expresserint.

R e g u l a.

Et ubicumque se invenerint Fratres, ostendant se domesticos invicem inter se etc. Quia si mater nutrit , et diligit filium suum carnalem, quanto diligentius debet quis diligere , ac nutrire Fratrem suum spiritualem ?

§. VI.

De fraterna dilectione.

451 Ne sanctae dilectioni , ad quam Seraphicus Pater invicte nos provocat , legum praesidium desit , delictis quibusdam , quibus in eam peccari potest , juris remediis obviandum fuit. Primum itaque si convictus quis fuerit falsas literas , falsave memorialia scripsisse , tamquam publicae quietis perturbator a Superioribus gravissime puniatur. Rom. 1603.

452 Qui fratris crimen , quod legitime probare non potest , alteri, quam Praelato suo revelaverit , poenam talionis subeat. Salm. c. 7. Vallis. 1593.

453 Qui falso , ac scienter aliquem de crimine infamaverit , si in occulto fecerit , nonnisi a Provinciali absolvi possit : si vero in publico, non absolvatur , nisi poena imposita criminis , de quo falso , ac scienter infamavit. Nec vero quispiam a praedictis absolvi queat , nisi, prout poterit , famam antea restituat. Ad haec districte praecipimus , ne quis in secreta collocutione sub confessionis sigillo quidpiam dicat , quod in alterius infamiam vergat , vel quod inter Fratres dissensionem , aut scandalum generare possit. Ex eisdem. Salm. Sup.

454 Qui Frater Fratri verbum improperii , aut convicii dixerit , aut leviter quempiam provocaverit , singulis vicibus flagella disciplinae sibi adhibeat. Si verbis , aut factis graviter offenderit , prima vice probationis caputium per mensem deferat : secunda bimestri carcere puniatur , et activa , ac passiva voce decennio careat : similique modo puniatur , qui cuiquam delictum exprobraverit , pro quo alias punitus fuit. Ibidem. Neap. c. 35. Vallis. 1593. Neap. Sup. Vallis Sup.

455 Cum Ordo universus distincta sodalitia contineat , ad publicam tranquillitatem , et pacem perpetuo servandam , atque etiam in Domino augendam , apostolicis constitutionibus inhaerentes , districte sancimus , ne Frater Fratrem quempiam malitiose , irrisorie , sive per convicium aliquo derisorio , vel injurioso nomine , etiam de novo reperto , sive forte in futurum quavis occasione , vel causa reperiendo , Vallis Sup. Leo X. *Ite et vos* Pius V. *Beatus Christi Confessor.*

vel quod pro injurioso, et derisorio a patientibus habeatur, appellet. Si quis legitime deprehensus fuerit talia protulisse, vel proferre, praeter poenas dictis constitutionibus contentas, privationem etiam officiorum, aliasque Superiorum arbitrio infligendas eo ipso incurrat. Eisdemque poenis puniendos decernimus, qui talia proferri audientes, aut fuisse prolata scientes, statim aut verbo, aut per literas proferentes ipsos non denuntiaverint.

Rom. 1615. 456 Meminerint omnes egregii effati, quo B. P. N. Franciscus fraternam dilectionem alte nobis commendatam esse voluit, inquiens: *Si mater nutrit, et diligit filium suum carnalem, quanto diligentius debet quis diligere, ac nutrire fratrem suum spiritualem?* Hinc Observantibus aequae, ac Reformatis omnibus praecipitur, ut se invicem benigne excipiant, amplectantur, honorent, juvent, maxime coram saecularibus, ad eorum exemplum.

Regula.

Et si quis eorum in infirmitatem ceciderit, alii Fratres debeant ei servire, sicut vellent sibi serviri.

§. VII.

De cura infirmorum.

Salm. c. 6. Aquil 1559. Vallis 1593. Tolet. 1633. Clement. VIII. *de reform.* 457 Si ob aliquam causam in singulis conventibus valetudinaria esse nequeant, provinciarum, et locorum conditione inspecta, in pluribus saltem sint: eisque Provinciales Ministri communi Patrum consilio Fratres praeficiant peritos, misericordes, benevolos, cum sociis ad id maxime idoneis, qui, quanta poterunt charitate, diligentia, patientia, die, noctuque infirmis assistant, serviant, opitulentur, ministrent. (Vallis Sup.) Res vero quascumque pro infirmis destinatas, vel ad valetudinaria ipsa quavis ratione pertinentes ab eis auferri, vel ad alios usus, etiam hospitalitatis, vel alia quavis de causa applicari ne liceat, sub poena privationis officii infirmariis ipsis, et Guardianis etiam, si eorum voluntate, vel consensu contra fieri contigerit.

Rom. 1612. 458 In valetudinaria non admittantur nisi infirmi, vel quos Medicus ob languorem aetatis, aut aliam causam judicaverit medicamentis, aut cibis medicinalibus indigere.

Ibidem. 459 Curet Provincialis pro quolibet valetudinario sacerdotem destinari, qui ad sacramenta aegrotis ministranda praesto sit.

Vallis. Sup. 460 Fratres vero, qui aegrotare coeperint, Guardiani, et qui valetudinariis psaesunt diligenter admoneant, ut statim confiteri velint, atque ita studiose se praeparent, ac si tum ex hac vita migraturi essent.

Vallis. Sup. Tolet. 1633. 461 Cibus, et medicamenta ita opportune adhibeantur, sicut et charitatis ratio postulat, et per facultates licuerit: et ne quid eis desit, omni studio curetur.

462 Guardiani, et Vicarii quoque eos quotidie visitent, ut et solatio illis sint, et ab eis, quae necessaria fuerint, melius cognoscant. Ceteri etiam crebro eos visitent, adjuvent, et pie in Domino consolari studeant. Ex eisdem.

463 Provinciales ipsi, ubi infirmos invenerint, per se illos adeant, et diligenter quaerant, an Praelati, an infirmarii, et socii, aliique Fratres, an Medici etiam opportune adsint? an dentur, quae necessaria sunt? et si quempiam aut avaritia, aut negligentia, vel alias peccasse noverint, opportune coërceant: quos vero graviter deliquisse viderint, officii, et suffragiorum juris privatione puniant, et gravius etiam pro culpae modo. Ex eisdem. Salm. c. 6. Aquil. 1559. Neap. c. 15.

464 Quod si Guardiani, infirmarii, aromatarii cum Medicis convenerint, ne pharmacum, vel electuarium detur, nisi definiti cujusdam valoris, unde aegroti vel periclitetur vita, vel retardetur salus, carcere claustrali, aliisve arbitrariis poenis puniantur, et ad Ordinis officia perpetuo inhabiles sint. Rom. 1612.

465 Et ne quid in hoc genere praetermissum videatur, in singulis infirmariae locis Provinciales fratrem unum pium, et sedulum destinent, qui eorum nomine aegrotos frequenter visitet, pro illis, si opus fuerit, Praelatum, et ministros moneat, hortetur, solicitet, et, si peccari contigerit, Provinciali significet. Salm. et Tolet. Sup.

466 Nullus infirmus, postquam convaluerit, valetudinario abire cogatur, nisi jussu medici. Rom. Sup.

467 Visitatores in obeundo visitationis munere de his omnibus solerter inquirant: quae providenda, aut corrigenda fuerint, provideant, corrigant: ac Generalem ipsum opportune admoneant, ut in generalibus capitulis semper de his omnibus specialis ratio habeatur. Salm. Vallis. Tolet. Sup.

468 Ubi valetudinaria sunt, aromatarii etiam constituantur periti, et benevoli. Sed eorum officinae monasterio tantum deserviant; facto illis per sanctam obedientiam, et sub poena carceris praecepto, ne capsas ibi, vel truncos servare audeant ad pecunias recipiendas, neque pharmaca, vel aliud quidpiam vendere: et in casu, Guardiani dictam poenam exequi jubentur. Item singulis mensibus Guardiano cum Discretis, et in singulis visitationibus Provinciali, et Commissario Visitatori cum eisdem Discretis, et Guardiano, sub amissionis officii poena rationem reddere debeant accepti, et expensi, et status officinae. Vallis 1593. Rom. 1615. S. Cong. 1628. Tolet. 1606.

§. VIII.

De religiosa hospitalitate.

469 In quolibet conventu hospitia sint, seu mansiones duae, aut plures cum necessaria supellectili recipiendis hospitibus specialiter destinatae: quae idcirco nonnisi hospitibus ipsis deservire debeant. Vallis. 1593. Rom. 1603. Tolet. 1633.

470 Cum primum Fratres hospites ad locum accesserint, benigne recipiantur: atque ut majora sentiant fraternae charitatis officia, reti- Vallis. et Tolet. Sup.

neatur vetus illa, et probata Sanctorum Patrum institutio, ut aliquid psalmi, vel hymni pie canendo, abluantur eis pedes genibus flexis; quo, qui ad hoc pium opus delecti fuerint, Christi Domini exemplum animo perspiciant: idque ut opportune praestetur, loci Vicario, et ei, qui recipiendis hospitibus praefectus erit, curae sit.

Neap. c. 15. Vallis. Rom. Tolet. Sup. 471 Ministri si quem loci Praelatum, quocumque vocetur nomine, in iis praestandis, quae ad sanctam hospitalitatem pertinent, notabiliter peccare noverint, tamquam hominem charitatis expertem officio destituant, et suffragiorum jure triennio privatum declarent.

Ultram. c. 4. 472 Hospites vero, quos plus triduo immorari contigerit, die, noctuque choro interesse, atque alias loci communes actiones servare debeant.

Vallis. 1565. Rom. 1651. 473 Cum autem Ordo noster in humilitate praecipua, et charitate fundatus sit, noverint Fratres nostri ubique terrarum dispersi Personas omnes ecclesiasticas modeste, humaniterque habere, ita ut in omni conversatione nostra nil aliud experiantur, quam humilitatis signa, officia

Vallis. 1593. servitutis, et reverentiae argumenta: et si quos cujusvis alterius Ordinis Religiosos hospitii causa ad loca nostra divertere contigerit, eadem, quae nostris, praestentur illis obsequii, et charitatis officia, et majora quoque, prout per facultates licuerit.

Victor. 1694. 474 Hanc autem reverentiam, charitatemque in primis ostendi volumus Fratribus Ordinis Praedicatorum, prout infra: tum vero Carmelitis etiam, ex eo praecipue, quod S. P. N. Franciscus B. Angelo Carmelitae Martyri charitate maxima, et mutua coelestium arcanorum revelatione conjunctus fuit: quare omnibus, et singulis praecipitur, ut cum eorum sacro Ordine mutuam, sanctamque conjunctionem ubique colant, et ostendant.

Clement. VIII. *Religiosae Congregationes.* 475 Si quando vero ditiores aliqui occasione transitus, sive alias ex devotione, aut necessitatis causa ad nos diverterint, ita excipiantur, ut in nobis frugalitas, et paupertas religiosa prorsus eluceat, nihilque sit, quod decentiae status nostri adversetur.

S.C.28.Jan.1697 476 Hospitium in almo Aracoelitano conventu pro advenis Cismontanae Familiae, et pro aliquo ejusdem Familiae Generali Praelato, qui expleto officio in Urbe residere valeat, extructum, omnes, et singuli Superiores, et subditi, sub poena privationis vocis activae, et passivae, suorumque officiorum, aliis usibus addicere, seu applicare prohibentur.

§. IX.

De Sacro Ordine Praedicatorum.

Tolet. 1658. Rom. 1688. 477 Cum inter Sacratissimum Ordinem Praedicatorum, et nostrum praecipuae charitatis nexum, sanctamque unionem a quinque saeculis, et ultra, non hominum solertia, sed, ut pie creditur, coelesti dono stabilitam, veluti sacram haereditatem a sanctissimis Parentibus nostris Dominico, et Francisco acceptam conservare teneamur; consulto renovamus statuta, et decreta omnia in hunc finem huc usque edita, sive

quoad obsequium et reverentiam Reverendissimo Patri nostro Magistro Generali Sanctissimi Patris nostri Dominici legitimo Successori, aliisque ejusdem Ordinis Praelatis, sicuti Generali Ministro, aliisque Superioribus Ordinis nostri respective praestandam; sive quoad hospitalitatem in ejusdem Ordinis Fratres religiose adhibendam; dictorumque statutorum, et decretorum observationem denuo indicimus, et mandamus.

478 Ad haec ejusdem Ordinis progressus, et incrementa urgere ex animo debemus quasi utrique Ordini communia; nostramque in eum benevolentiam, et servitutem modis, rebusque omnibus testari, quae aptae sint candorem ostendere, roborare pacem, mentes jungere, Deo gloriam, et saeculo virtutis exemplum praebere. Rom. 1651.

479 Sicubi vero haec sancta fraternitas temporum varietate, aut daemonis astutia dissoluta sit; Praelatos monemus, et, quatenus opus sit, eisdem praecipimus, ut eam instaurare, ac perpetuam reddere omni studio conentur. Rom. 1688.

480 Praecipimus etiam, sub privationis officiorum, aliisque Superiorum arbitrio infligendis poenis, ne quis in controversiis scholasticis Angelicae Scholae opinionibus, qualescumque sint, censuras, aut notas aspergat, vel de illis minus reverenter aut loquatur, aut scribat. Rom. 1651.

481 Conventus nostri Dominicanorum hospitia sint; et ne illorum modestia accessum avertat, Praelati eos rogare debeant, et accedentes pari qua nostros, imo etiam majori charitate, omnemque in eos observantiam, et benignitatem ostendere. Addendus etiam loci honor; quare Provinciali Dominicano Provincialis noster, Priori locali Guardianus cedet: idemque servata proportione de aliis Praelatis. Rom. 1688. Vallis. 1593.

482 Quoties in sacris concionibus, in functionibus literariis, in lectione mensae, atque etiam in privatis colloquiis S. P. N. Dominicum nominare accidet, semper fiat addito titulo *Patris Nostri*, parique veneratione ac B. P. N. Franciscus, ab omnibus utriusque sexus Ordinis nostri habeatur. Qui hac in re delinquere inventus fuerit, a Praelatis corrigatur, et, si opus fuerit, arbitrariis poenis pro qualitate negligentiae puniatur. Rom. 1688.

483 Et quia pro comperto habemus apud complures Fratres nostros, imo et Provincias consuetudinem vigere deferendi S. P. N. Dominici interius scapularium, ceu tesseram amoris, et venerationis suae erga Sanctum Patriarcham; hortamur, ut hanc sanctam consuetudinem quisque imitari studeat, et alios ad idem factitandum inducat. Ibidem.

484 Si quis vero ex nostris, quod absit, contra eumdem Sacrum Ordinem ausus fuerit scribere, aut loqui, sanctamque hanc fraternitatem vel in minimo laedere, obnoxius habeatur poenis turbatorum pacis, et obtrectatorum Ordinis nostri. Rom. 1651. Tolet. 1658.

*

Caput VII.

REGULA. *Si qui Fratrum instigante inimico mortaliter peccaverint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit etc. teneantur etc.*

§. I.

De Sacramentali Confessione.

Vallis. 1593. 486 Cum quilibet proprio Sacerdoti confiteri teneatur, proprii autem Sacerdotes in Ordine soli sint Praelati, de quorum numero sunt etiam Guardiani, ea propter nulli confessiones Fratrum audire liceat, nisi aut Guardianus sit, aut a Generali, vel Provinciali per examen, si necessarium videbitur, aut alias idoneus inventus, approbationem, scriptamque facultatem obtinuerit.

Neap. c. 20. Vallis. Sup. Clement. VIII. de reform. 486 Examen vero fiat aut ab ipsis Superioribus una cum aliquibus idoneis ad id specialiter assumptis, aut per Examinatores in capitulis ad id specialiter designatos: qui collecti simul, de aetate et moribus, de generalibus et praecipuis moralis doctrinae capitibus, de regula nostra vel maxime, de praeceptis ejus, et declarationibus apostolicis, deque casibus in Ordine reservatis diligenter quaerant.

Neap. et Vallis. Sup. Rom. 1612. 487 De moribus, qui admittendus est, probatis testimoniis doceat. Quoad aetatem, trigesimo anno major sit; nisi ob Fratrum inopiam, et ubi pauci numero sunt Sacerdotes, Provincialis pro sua pietate, et conscientia aliter in Domino censuerit.

Salm. c. 7. Vallis. Sup. Salm. Sup. 488 Fratres omnes bis, aut saepius in hebdomada Praelatis suis, aut alteri, ut supra, rite approbato confiteri debeant. Extra Ordinem vero, praeterquam in necessitatis articulo, tumque de Superioris licentia, apostolicis decretis confiteri prohibemur. Viatores etiam Guardianis confiteantur, vel aliis approbatis, ut supra, nisi confessarium eligendi generalem habeant a Superioribus facultatem. (Vallis Sup.)

Rom. 1575. 489 Clericorum confessiones, et Laicorum etiam minorum annis vigintiquinque in cellis non audiantur, sed in ecclesia, capitulo, vel alio publico, et decente loco; sub poena privationis actuum legitimorum.

Salm. Sup. Paris. 1579. Vallis. 1593. 490 A casibus per Ordinis leges reservatis, vel quos alias ad constitutionis apostolicae praescriptum reservari contigerit, nemo, sub excommunicationis ipso facto incurrendae poena, absolvere praesumat, nisi a Superiore Generali, vel Provinciali necessariam, et scriptam absolvendi habeat facultatem. Si quis in hoc vitiosus fuerit, et de eo legitime constiterit, in carcerem etiam tradatur Superioris arbitrio. (Salm. et Vallis. Sup.)

Paris. Sup. Vallis. Sup. Clem. *de reform.* 491 Ut vero animarum saluti opportune consultum sit, Provinciales Ministri in quolibet conventu duobus, aut pluribus pro majori, vel minori subditorum numero, doctis, prudentibus, et caritate praecellentibus Confessariis reservatorum etiam absolutionem committant.

Salm. Sup. 492 Neminem sive Ministri, sive eorum Commissarii absolvant,

nisi antea satisfecerit, si cuiquam in persona, fama, vel alias nocuisse cognoverint.

493 Talis autem absolutio, utpote forum internum respiciens, correctionem judicialis fori, si crimen legitime probatum fuerit, impedire non debet. Ibidem.

494 Facultas pro reservatis tamdiu duret, quamdiu vel a concedente ipso, vel ab ejus Successore revocata non fuerit. Vallis. Sup.

495 Et ne ignorantiae locus sit, Provinciales Ministri, in sua quisque Provincia, casuum reservatorum tabellam confici, et in singulis conventibus esse curent. Tabellae exemplar infra trademus. Casus vero Clementis VIII constitutione Regularibus praescriptos locorum Superiores, Confessarii, ac Provinciales quoque non ignorent, sed tabella certa notatos, aut etiam canstitutionem ipsam omnino habeant; et quae in ea traduntur, accurate servent. Paris. et Vallis. Sup.

496 In Reformatione Confessarii pro reservatis designati, iique etiam, qui ex concessione Superiorum ad id facultatem habeant, ea uti non possunt respectu complicum suorum: et absolutio a casibus in Religione reservatis contra hanc declarationem data, defectu jurisdictionis, nulla esset. Rom. 1688.

497 Ab excommunicatione, quae ob violentam manuum injectionem incurritur, si Ministri praesentia infra diem naturalem haberi nequeat, possit Guardianus, ipsoque etiam per triduum absente, possit Vicarius absolvere. Id vero ne intelligatur de injectione atroci, vel subditi in Praelatum. Salm. Sup.

498 Casus Generali, aut Provincialibus Ministris ex generalibus Ordinis Constitutionibus reservati sunt: Ex Salm.c.7.10. Ex Vallis. 1593.

Pro Observantibus.

I. Nomen Dei, ac Domini Nostri Jesu Christi, Deiparaeque Virginis Mariae blasphemantes.

II. Rebus Sacris abutentes.

III. Quicquam in Religionis detrimentum extra Religionem patefacientes.

IV. Discordias Patrum, vel depositiones Praelatorum manifestantes.

V. Calumniam in judicio cuiquam imponentes, vel ad id faciendum inducentes.

VI. Falso, ac scienter quempiam accusantes, accusantemve revelantes.

VII. Falsum testimonium deponentes, vel deponendum procurantes; aut quempiam quomodolibet infamantes.

VIII. Jurati veritatem negantes, falsumve affirmantes.

IX. Ter debite moniti obedire renuentes.

X. Consummatum carnis peccatum quodcumque admittentes.

XI. Denarios contra praescriptum accipientes, tenentes, asservantes.

XII. Rei Sacrae, vel notabilis furtum perpetrantes.

XIII. Religionis bona extra Religionem dono dantes.

XIV. Fratribus, vel Secularibus vendentes, aut quovis modo alienantes.

XV. Generalis, vel Provincialis, aut eorum Secretarii litteras, tum missas, tum accipiendas impedientes, frangentes, falsificantes, vel quomodolibet intercipientes.

XVI. Sigillum Ordinis, vel cujusvis alterius Praelati, aut Personae notabilis falsificantes.

XVII. Libellum famosum facientes, fieri procurantes, inducentes, consulentes, projicientes, publicantes.

XVIII. Graviter quempiam percutientes, aut contra Praelatos machinantes.

XIX. Carnes, quum Ecclesiae, vel Regulae praecepto vetitum fuerit, comedentes, nisi scripta Superioris facultate, propter necessitatem, antea impetrata.

Pro Reformatis.

Const. Ref. C. VII. I. Věneficia, incantationes, sortilegia.

II. Inobedientia contumax, quum trina intra unius diei spatium facta monitione subditus in pervicacia persistit.

III. Percussio gravis alterius Fratris, sive Clerici saecularis.

IV. Eorum manifestatio, quae aut Ordinem, aut particularem Fratrem infamant.

V. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.

VI. Proprietas, quae sit lethale peccatum.

VII. Furtum rerum notabilium, aut iteratum.

VIII. Falsa accusatio cum accusati infamia, aut ad aliquod tribunal falsi libelli porrectio.

IX. Falsum testimonium in judicio.

X. Falsificatio characteris, aut sigilli Superiorum, sive notabilis alicujus personae, sive conventus.

XI. Malitiosum impedimentum, retardatio, et aperitio epistolarum tam Superiorum ad subditos, quam subditorum ad Superiores.

XII. Libellos infamatorios conficere, vel ad eos conficiendos alios inducere, quum expositi, projecti, aut quovis modo publicati fuerint.

XIII. Procuratio, auxilium, consilium ad abortum post animatum foetum etiam effectu non sequuto.

§. II.

De Confessariis Saecularium.

Salm. c. 9. Vallis. 1565. Paris, 1579. Neap. c. 20. Vallis 1593. Rom. 1603. 1612. Trid. Sess. 23. c. 15.

499 Ad Saecularium confessiones sub poena privationis actuum legitimorum, neminem Praelati admittant, nisi annorum triginta; cum minores natu vix eam personam, et gravitatem habeant, quae tantum decet officium. Tum de moribus, et doctrina, uti de Fratrum Confessariis dictum est, examen praeire debeat, praecipua pro ineundi mu-

neris gravitate adhibita diligentia. Qui per omnia, et eruditione, et *Pius V. Rom. Pont.*
alias habiles inventi fuerint, de illorum idoneitate duo saltem examina- *Urb. VIII. Cum sicut.*
tores scripto manu propria obsignato Provinciali testentur: et accura- *Clement. X.*
tissime serventur omnia, quae pro hujusmodi admissione Tridentina *Superna.*
Synodus, et constitutiones apostolicae servari jubent.

500 Qui personarum extra Ordinem favore Confessarius institui curaverit, in poenas incidat in eos latas, qui simili via officia Ordinis quaerunt. Ministri, qui sciverint, eos admittere non possint. *Rom. 1603.*

501 Admissos monemus, ut potestate in aedificationem corporis Christi, et animarum salutem sibi data rite, recte, atque omnino salutariter utantur; sicque omnium saluti consulant, ut hoc apostolicae servitutis ministerium omnibus fructuosum sit. *Vallis. 1593.*

502 Videant maxime, ut non solum ab avaritia, et turpi lucro, *Neap. c. 4.*
sed ab omni etiam hujus labis suspicione dissitos se praebeant, ac revera sint. Si adversus aliquem indicia fuerint, quod a poenitentibus pecuniam recipiat, vel receperit, ad veritatem dicendam districte arctetur. Qui autem directe, vel indirecte, per se, vel per interpositam *Neap. c. 16.*
personam recepisse convictus fuerit, perpetuum privatus officio, obno- *Rom 1603.*
xius omnino sit proprietarii poenis, atque insuper excommunicationi Ministro, et in ejus absentia Guardiano reservatae: quique sponte etiam *Rom. 1615.*
oblatam pecuniam quovis praetextu admiserit, mox destituatur officio, et a loco illo in alium mittatur.

503 Ut omni pietate, et religione poenitentiae Sacramentum admi- *Neap. Sup. Rom. 1575.*
nistretur, Provinciales diligenter curent, ut Confessarii sacras peccato- *Vallis. 1593*
rum confessiones in cellis non audiant, sed in ecclesia, vel alio loco *Rom. 1612.*
sacro ac patente sanctum hoc munus sancte obeant.

504 Mulieres vero non audiant nisi in confessionalibus ad crates ex *Neap. et Vallis. Sup.*
laminis ferreis, vel aereis cum foraminibus adeo parvis, ut vox quidem audiri possit, aspectus autem haberi nequeat. Ministri in singulis visitationibus confessionalia, et laminas ejusmodi accurate visitent. Si quis laminas fregisse repertus fuerit, ipso facto suspendatur: qui autem sine praescripta earum cautione mulierum confessiones exceperit, ipso facto ab audiendis confessionibus suspensus sit, ac praeterea gravius puniatur Superiorum arbitratu: ipsique Ministri officiis destituantur, si aut in visitatione praedicta, aut in delinquentium punitione negligentes manifeste fuerint.

505 Qui in Basilica Lateranensi de Urbe decennii spatio cum lau- *Innocent. XIII. Rom. Pontif.*
dabilis vitae testimonio Poenitentiarii apostolici ministerium obierint, ad proprias Provincias reversi omnibus gaudeant praerogativis, ac privilegiis, quibus quovis modo utuntur, et gaudent, qui Ministri Provinciales fuerunt, ita quidem, ut inter eosdem Poenitentiarios, et Exprovinciales servetur aequalitas, et quoad ordinem praecedentiae sola prioritas, sive antianitas paternitatis attendatur.

506 Qui vero Poenitentiarii fuerint in Basilica S. Mariae Angelo- *Rom. 1750.*
rum de Portiuncula, expleto similiter cum laude continuo decennio, *Mant. 1762.*
gaudeant privilegiis Exdefinitorum supra quoscumque Exdefinitores ex

gratia, et immediate post eos, qui Definitores fuerunt, salvo tamen jure Secretarii Provincialis in propria provincia.

§. III.

De correctione delinquentium.

Vallis. 1593. 507 Quia homines in officio, et disciplina poenis vel maxime contineri solent, pro debita delinquentium correctione, et punitione plura per Ordinis leges consultissime disposita sunt; quorum cum pleraque alias opportune referantur, hoc loco, quae sequuntur, non omittenda erant.

Ex eisdem. 508 Variae in statutis occurrunt poenae: usitatiores sunt privationes juris suffragiorum, actuum legitimorum, officiorum Ordinis.

Ex eisdem. 509 Juris suffragiorum, seu (quod idem est) vocis activae, et passivae privatio est inhabilitas ad ferenda, et consequenda in electionibus suffragia. Itaque sic privatus neque eligere, neque eligi ad Ordinis officia potest. Non prohibetur tamen sacros ordines suscipere, et susceptis fungi. Potest etiam exercere officia praedicationis, lectionis, et confessionis, suffragari pro Novitiis, Monialium Confessarius, et Novitiorum Magister institui.

Ex eisdem. 510 Privatio actuum legitimorum est inhabilitas ad omnia Ordinis officia, quae cum dignitate, et superioritate conjuncta sunt; veluti Ministeriatus, Definitoriatus, Guardianatus: item ad confessionem saltem saecularium. Potest vero sic privatus promoveri ad sacros ordines, et in eis ministrare, suffragari pro novitiis, exercere officia praedicandi, et legendi, Monialium Confessarius, et Novitiorum Magister esse.

Ex eisdem. 511 Privatio officiorum Ordinis inhabilem reddit non solum ad praedicta omnia, sed etiam ad confessionem, praedicationem, lectionem, paternitatem, visitationem: permittit vero sacrorum ordinum susceptionem, et exercitium.

Ex eisdem. 512 Poena carceris est reclusio alicujus in loco obserato sine caputio, et chorda, Generalis, aut Provincialis auctoritate facta: consequenter est privatio actuum legitimorum. Itaque qui in carcerem traditur, hoc ipso privatur actibus legitimis, ad quos non restituitur per liberationem a carcere: neque vero relevari ullo modo potest, nisi in provinciali capitulo, aut Generalis auctoritate.

Salm. c. 7. 513 Nemo tamen in carcerem tradi potest, nisi pro manifesto, et enormi delicto. Enorme dicimus vel ratione generis peccati, ut est inobedientia contumax, lapsus carnis, perfidia, haeresis, et similia: vel ratione circumstantiae, ut frequens iteratio furti etiam rei non notabilis: deque aliis casibus reservatis idem sit judicium. Qui aliter quempiam in carcerem conjecerit, omnibus actibus legitimis privatus sit.

Ex eisdem. S. C. Conc. de apost. et eject. 514 Itaque ut atrocia, et gravia crimina graviter, et pro eorum qualitate puniri possint, in praecipuis saltem cujusque Provinciae locis carceres habeantur omnino fortes, humani tamen, et lucidi, ut inclusi divinum officium persolvere, piaeque lectionis solatio recreari possint,

515 Eisdem Sacramentum poenitentiae, quoties petierint, concedatur, nisi Superiori Provinciali, aut etiam Locali aliter visum fuerit. Qui vero in carcere perpetuo inclusi sunt, iis barba, et capite religioso more antea tonsis, die sancto Paschae tantummodo in valetudinario, sive in alio secreto, et decente loco Corpus Christi praebeatur. Ex eisdem.

516 Volumus etiam, ut, qui carcere puniuntur, qualibet saltem sexta feria, coram Fratribus capitulariter congregatis, sine caputio, flagella disciplinae sibi adhibeant, psalmum *Miserere* intelligibili voce recitantes; atque humi positis genibus pane, et aqua jejunent. Salm. c. 7.

517 Educens quempiam de carcere, vel ei ad fugam consilium, vel auxilium praebens, custos ipse consentiens, effectu secuto, omnes, ubi de malitia, vel dolo legitime constiterit, in carcerem dentur. Guardianus ipse, si de negligentia, vel dolo legitime suspectus, vel notatus fuerit, eo ipso sit officio privatus, vel gravius etiam puniatur, Superioris arbitrio. Salm. et. Vallis. Sup.

518 Si quis delictum admiserit, cui carceris poena debeatur, ubi delictum ipsum sit rei evidentia manifestum, per Superiorem Localem de consilio Discretorum, possit tuto loco, ne effugiat, sub custodia detineri; quousque quid agendum sit, Provincialis decreverit. Quo eos etiam comprehendi volumus, qui alterius Provinciae, vel Familiae fuerint. Ex eisdem.

519 Exilii poenam abrogari placuit: quare criminosus quisque in sua provincia puniri debeat, exilio substitutis carcere claustrali, aliisve arbitrariis poenis. Attamen Patres graves, qui ob sua delicta carcere digni essent, si expedire visum fuerit, exilio puniri possint. Rom. 1602. 1615.

520 Ubi in statutis de alicujus arctatione dicitur, nisi aliter explicetur, id ita intelligendum, quod in qualibet hebdomada diebus tribus disciplinam subeat, psalmum Miserere dicens, et pane solum et aqua reficiatur. Arctationis autem tempus Superiorum, ad quos pertinet, arbitrio de Patrum consilio taxetur; sic tamen, ut ipsi arctando nullatenus reveletur. Salm. Sup.

521 Qui crimen patraverit, ob quod in judicio saeculari morte puniendus esset, ad carceres perpetuo damnetur: et si unquam liberari contingeret, tamen ad jus suffragiorum, et actus legitimos restitui nunquam possit. Salm. c. 7. Rom. 1587.

522 Damnatus ad triremes, eo ipso intelligatur ab Ordine pulsus, quamvis in sententia non explicetur. Is vero sive a Praelatis Ordinis, sive ab alio superiori judice damnatus fuerit, ne amplius ad Religionem admitti possit. Quod si huic admissioni inevitabiliter esset acquiescendum; admisso ne statim caputium detur, sed sine illo, et, si Sacerdos fuerit, sine corona, quasi tertiarius, ad coquinam, hortum, vel alia hujusmodi officia destinetur. Quod si per triennium in exemplum vixerit, Definitorum judicio reddi ei caputium possit; ad exercitium vero sacrorum ordinum nullo modo admittatur, et perpetuo indispensabiliter suffragiorum jure, actibusque legitimis careat. Rom. 1612. 1615 Rom. 1587.

523 Excommunicationis gladius sobrie exserendus, magnaque adhibita circumspectione. Eo autem uti possunt in sibi subditos Praelati Trid. Sess. 25. de reform. c. 3. Salm. Vallis. Sup.

omnes; et oppositum asserentes graviter puniantur. Sed ad finem revelationis, seu pro deperditis, vel subtractis rebus Generales, et Provin-
Trid. Vallis. Sup. ciales tantum excommunicare possint. Nulli tamen excommunicationem a Praelatis inferioribus latam contemnere, aut non formidare liceat praetextu non servatae hujus constitutionis; hac enim de re cognoscere ad subditos non pertinet, sed ad Praelatos.

Vallis. 1565. 524 Infamis ob crimina, de quibus convictus fuit, ultra poenas alias ex iis debitas, ad Ordinis dignitates, et officia inhabilis sit.

Vallis. 1593. 325 Si cuiquam in sanctae Inquisitionis officio abjurandum fuerit, si de levi, actibus legitimis; sin autem de gravi, officiis omnibus sit
S.C. Sup. In qu. perpetuo privatus. Item qui pro delictis ad idem sacrum tribunal spe-
5. Octob. 1626. ctantibus poenitentiae genus aliquod subierunt (salutaribus poenitentiis exceptis) ad omnes gradus, et officia, etsi poenitentiae tempus expleverint, vel gratiam receperint, inhabiles sunt, nisi prius a Summo Pontifice, vel a Sacra Congregatione coram Sanctissimo habenda rehabilitationis gratia obtenta. Secus promotio est nulla, et promoventes officiis, et voce activa, et passiva privantur; reservata Sanctitati Suae, vel Sacrae Congregationi restitutione.

Vallis. 1593. 526 Qui inobediens debite monitus in contumacia perseverat, car-
Rom. 1615. cere, et consequenter actuum legitimorum privatione puniatur. Dicitur autem contumax, quando trina monitione congruis intervallis eodem die praemissa, per diem naturalem inobediens persistit: vel quando ita pertinaciter recusat, ut de Discretorum judicio carceri mancipandus videatur.

Salm. c. 6. 527 Proprietarii poena est carcer, et actuum legitimorum privatio:
Vallis. Sup. addita privatione ecclesiasticae sepulturae si (quod absit) ab hac luce proprietarius migravit.

Ex eisdem. 528 Contra reos violatae castitatis, pro varietate delicti varia constituta est poena. Qui confessus fuerit, in fornicationem, vel graviorem culpam incidisse, vel de eo legitime convictus fuerit, prima vice semestri carceri mancipetur, et omnium suffragiorum jure triennio careat: secunda, per annum in carcere sit, omnibusque Ordinis officiis decennio privetur: tertia, ad omnia Ordinis officia sit perpetuo inhabilis, et diutius carceri mancipetur, vel pro qualitate delicti, aut scandali ratione, ad ergastulum etiam mittatur Superiorum arbitratu.

Ex eisdem. 529 Si quis (quod absit) sacrilegium admiserit, ad ergastulum, vel ad perpetuum carcerem omnino damnetur, Superiorum arbitratu.

Ex eisdem. 530 Si autem (quod Deus avertat) de innominabili crimine, propter quod venit ira Dei in filios diffidentiae, notatus quis, ac legitime convictus fuerit, ad perpetuos carceres irrevocabiliter damnetur; ubi pane, et aqua tribus saltem in hebdomada diebus jejunet, ac vitam suam in dolore, et amaritudine animae defleat. Quem tamen Generalis Minister post aliquot annos liberare possit, si tanta in eo viderit contritionis indicia, ut misericordia ejusmodi non indignum existimet: omni tamen suffragiorum jure perpetuo carebit, et ad omnia Religionis officia erit inhabilis. Quod si iterum de eodem vitio notatus, ac legitime convictus fuerit, omnino in perpetuum carcere detineatur.

531 Qui morbo gallico, vel alopetia affecti fuerint, aut in carnis illecebras, et errores prolapsi, ad nulla Ordinis officia promoveri possint, omnique suffragiorum jure perpetuo careant; atque, si confessarii fuerint, ab audiendis confessionibus perpetuo suspendantur. Vallis. 1593. Rom. 1612.

532 Qui legitime convictus fuerit sacramentalis confessionis secretum violasse, ipso facto actibus legitimis sit perpetuo privatus, et ab audiendis confessionibus suspensus; atque etiam in carcerem detur Provincialis arbitrio. Salm. c. 7. Vallis. Sup.

533 Qui divisiones inter Fratres, Praelatorum depositiones, vel privationes, aut peccata in Ordine correcta, vel corrigenda, dissentiones, discordias, et quidquid in infamiam, et detrimentum Ordinis vergere potest, extra Ordinem ipsum quoquo modo divulgaverit; eo ipso excommunicationis sententiam incurrat, et, si legitime convictus fuerit, omnibus actibus legitimis perpetuo privatus sit: neque absolvi possit nisi a Generali, vel Provinciali Ministro. Ex eisdem.

534 Qui per malitiosam concordiam, seu conspirationem adversus alium, et Superiorem maxime, se erexerint, omnibus Ordinis officiis privati sint, quousque per condignam satisfactionem a Superiori Generali, vel Provinciali releventur. Conspiratio tamen non intelligitur, ubi subditi Superioribus aliquid significare volunt. Salm. Sup.

535 Qui tacito nomine, aut nomine alieno libellos famosos ediderit, miserit, projecerit, vel quomodolibet exposuerit in alicujus infamiam, ipso facto excommunicationem incurrat: quod si ediderit in infamiam Praelati Generalis, vel Provincialis, absolvi non possit nisi per Generalem ipsum, vel per eum, cui idem Generalis specialiter duxerit committendum: si autem in aliorum infamiam, a Provinciali tantumodo absolvatur, debita satisfactione praemissa. Qui vero de praedictis legitime convictus fuerit, poenas subeat, quae contra deponentes falsum in judicio constitutae sunt. Ibidem. Tolet. 1606.

536 Qui Frater Fratri minabitur in persona, probationis caputium per mensem deferat. Si manum ad percutiendum levaverit, vel aliquid in idem acceperit, deferat mensibus tribus. Si leviter percusserit, eamdem poenam per annum luat. Si percusserit graviter, vel ad graviter percutiendum lapidem, vel baculum acceperit, et projecerit, sive gladium, aut alterius generis instrumentum eduxerit, semestri carcere puniatur: eamdemque poenam subeat, qui arma offensiva portaverit, aut in cella, vel alibi retinuerit. Salm. Vallis Sup.

537 Qui gladio, baculo, aut pugillo fratrem, vel saecularem percusserit, annui carceris det poenam, omnique suffragiorum jure, et actibus legitimis perpetuo careat; ac per mensem ter in hebdomada in pubblica mensa flexis genibus comedat, e collo pendentibus instrumentis ipsis, quibus ferire, vel percutere ausus fuerit: quod si mors, vel atrox mutilatio secuta sit, ad carcerem perpetuum damnetur. Eisdem afficiatur poenis, qui quempiam enormiter vulneraverit, vel alicui venenum dederit, aut qui haec, vel similia per alium fieri procuraverit, vel machinatum fuisse legitime convictus fuerit. Ex eisdem. Rom. 1575, 1587.

Rom. 1575. Vallis. 1593. 538 Qui Praelatum Localem gladio percusserit, secuta morte ad carcerem perpetuum damnetur: non secuta, ad eum mittatur Superiorum arbitrio. Qui vero Provincialem quovis modo etiam leviter percusserit, carcere item damnetur Generalis arbitratu: quod si cum gladio percusserit, morte secuta, vel non secuta, omnino ad ergastulum perpetuo damnetur. Si quis autem Generalem ipsum licet levissime percutere ausus fuerit, is etiam omnino in ergastulo perpetuo poenam ferat.

Neap. cap. 35. 539 Calumniatores, infamatores, falsi testes puniantur poena, quae talionis dicitur, sintque perpetuo infames.

Salm. c. 7. Vallis. Sup. 540 Qui in judicio quidquam falso, ac scienter deposuerit, vel ad id faciendum induxerit, aut quod vere depositum fuerat, revocaverit, vel revocandum procuraverit, ipso facto excommunicationem incurrat Provinciali reservatam, non absolvendus, nisi, prout juris fuerit, satisfactione praemissa: atque etiam semestri carcere puniatur, et infamis perpetuo sit.

Ex eisdem. 541 Accusatores, qui crimen objectum legitime, ac sufficienter non probaverint, poena talionis puniri debeant, ea ipsa scilicet, qua puniri debuissent accusati, objecto crimine legitime probato. Eadem poena puniantur, qui scienter de crimine, alias sufficienter punito quempiam accusaverint; quique ex malitia accusaverint de crimine, de quo accusatus alias in judicio innocens habitus, et declaratus fuit, nisi ad novam se obligent probationem, et in ea utique non deficiant. Et quia haec S. Damasi constitutio ad praecludendam calumniis, et injustis vexationibus viam, impostoresque coercendos multum salutaris est, et opportuna, eamdem a Praelatis omnibus, sub gravi suspensionis, vel etiam privationis poena servari volumus, et mandamus. Epist. 4. cap. 7.

Salm. c. 9. 542 Ad haec per sanctam obedientiam, et in virtute Spiritus Sancti districte praecipiendo mandatur omnibus, et singulis, ne saecularium rerum gabellas, pedagia, tributa, publice vel occulte, per se vel per alios vel fraudent ipsi, vel fraudari posse in sermonibus publicis, vel privatis, sive confessionibus, vel alio quovis modo, verbo, vel facto doceant, vel affirment. Contra facienti, pro mensura delicti Superiorum arbitrio sit et plagarum modus.

Salm. c. 7. 543 Quando in statutis poena carceris, excommunicationis, suspensionis, privationis exprimitur, Fratres eisdem teneri nolumus, nisi scienter, et deliberate fecerint. Et ubi poena ipso facto incurrenda dicitur, non incurri decernimus, nisi post declarationem a Praelato factam: is vero ne declaret quempiam delictum patrasse, cui talis poena respondeat, nisi vel rei evidentia, vel alias legitime de delicto constet: hac autem posita declaratione, reus ipso facto statutae poenae obnoxius habetur. Hoc ipsum de censuris etiam latae sententiae intelligendum, et servandum esse declaramus.

Ibidem. 544 Ubi statutum non exprimit a quo poena irroganda sit, ab eo irrogari debeat, coram quo delictum juridice probatur; dummodo ad eumdem pertineat ejusdem delicti correctio.

Salm. c. 8. Neap. c. 48. Vallis. 1591. 545 Ubi de privatione officiorum agitur Provincialibus, aut Guar-

dianis Superiorum arbitratu subeunda, quo rectius, et consultius unicuique justitia administretur, decernitur, ut nullus eorum officio privari possit, nisi majoris partis Definitorii consilio, et consensu. Ordinis autem Patres, quique ministeriatus officio functi sunt, vel eorum privilegiis gaudent, absque simili consilio, et consensu neque officiis privari, neque ulla notabili punitione, vel confusione affici possint.

546 Provinciales Ministri, secundum juris dispositionem, et antiqua Ordinis statuta, in hospites, et advenas, si, quo tempore transeunt, vel hospitantur, crimen aliquod patraverint, necessariam facultatem habent eos capiendi, et puniendi: qui, si ab Ordine pulsi, vel ad ergastulum damnati non fuerint, ad propriam provinciam tuto, et caute remittantur cum sententia contra eos lata; quam Ordinarius exequi debeat, puniendus a Generali, si neglexerit. Salm. c. 2. Ultram. c. 6.

547 Reorum punitiones ne differantur usque ad Superiorum Generalium in provincias adventum, sed secundum statuta teneantur Provinciales Ministri delinquentes punire, cum et auctoritatem habeant, et ex decretis Majorum, qua quisque poena puniri debeat, satis superque declaratum sit. Qui neglexerit, a Praelato Generali, vel ab ejus Commissario ad visitandum delegato officio privetur. Rom. 1575.

548 Qui de crimine alias occulto per duos, vel tres contestes convictus fuerit, non publice, sed secreto corrigatur, nisi crimen ejusmodi atrox fuerit; tunc enim corrigatur publice, ut unius correctio ceteris sit in exemplum. Vallis. Sup.

549 Si Frater poenitens instigante se spiritu, antequam sit delatus, sive accusatus de crimine, faciem Ministri coram testibus in confessione praevenerit, indulgemus, et concedimus, quod Ministri de plenitudine potestatis, et gratiae a poenis debitis, de consilio eorumdem testium, quoad forum externum quietare valeat, alia quacumque minus confusibili imposita poenitentia. Hoc autem intelligimus de primo recursu, et semper cum protestatione, quod si relabatur in eadem crimina, de quibus fuerat quietatus, sufficiente de relapsu habita probatione, ad statum pristinum reducatur. Salm. c. 7.

550 Poenas per Superiorem impositas inferior relaxare, moderari, commutare non possit. Qui fecerit, eisdem poenis subjaceat, Superioris arbitratu. Superiores vero poenas ab inferioribus inflictas non remittant, nisi urgens, justaque ratio, et major utilitas postulet; tumque causa cognita, ac summa maturitate id praestent. Salm. Vallis. Sup.

551 Caveant vero Superiores, ne ad instantiam personarum quarumcumque extra Ordinem constitutarum poenas delinquentibus impositas ullo modo remittant; sed constitutiones apostolicas hac de re editas diligenter attendant, et inviolate servent. Rom. 1625. Paul. V. *Admonemur.* Urb. VIII. *Admonemur.*

552 Quia vero nonnumquam accidit, ut per fictas causas in speciem probabiles nonnulli gratias extorqueant, per quas poenae merito illis inflictae aut remittuntur omnino, aut minuuntur; cum ferendum non sit, ut mendacium, quod abominatio est Domino, non modo impunitum sit, sed ad alterius etiam delicti veniam mentienti prosit: idcirco Sacri Vallis. Sup.

Trid. Sess. 22. cap. 5. Concilii auctoritatem secuti, statuimus, ac decernimus, ut Provincialis in provincia sibi commissa residens, de surreptione, et obreptione gratiae super absolutione publici criminis, de quo ipse inquirere jam coeperat, aut remissione poenae, ad quam criminosus per eum condemnatus fuerat, falsis precibus impetratae, per seipsum etiam summarie cognoscat; ipsamque gratiam, ubi per falsi narrationem, aut veri suppressionem obtentam esse legitime constiterit, suspendat, quousque Superiore admonito, desuper ab eo provisum fuerit, prout illi in Domino magis videbitur expedire.

Neap. c. 37. Tolet. 1682. Bened. XIV. *Sacrosancti.* 553 In casibus autem, in quibus de jure, vel juxta Ordinis constitutiones appellare, aut recursus habere licet, non aliter fieri id possit, quam gradatim, hoc est a gravamine Guardiani ad Provincialem, a Provinciali ad Commissarium Generalem Familiae (si de negotio, et causa agatur Familiam ejusdem Commissarii concernente; alias immediate ad Generalem) et ab ipso ad Generalem Ministrum: ita ut causae appellationis hujusmodi, antequam ab eodem Generali Ministro cognitae, et definitae fuerint, extra Ordinem deferri, et agitari nequeant: idque non solum in appellationibus, sed in quibuscumque recursibus, et querelis observari debeat. Qui hunc ordinem per saltum recurrendo violaverit, juris suffragiorum decennali privatione, et bimestri carcere puniatur.

Rom. 1688. 554 Pro Reformatis idem recursus ordo ampliatur ad quamlibet denuntiationem, seu notitiam in foro etiam paterno de transgressionibus Fratris, ob cujus emendationem tenetur quilibet pro Religionis bono ad Superiorem recurrere, ipsum monendo, ut pro debito transgressorem corrigat. Qui eumdem ordinem temere violaverit, et, sine legitima causa a Superiore probanda, tacitis respectu Superioris Localis, vel Provincialis Fratrum transgressionibus, maxime visitationis tempore, servaverit aperiendas solummodo Commissario visitatori, vel omissis Superioribus subalternis ad Generalem scripserit, maxime instante tempore capitulari; tamquam malignus obtrectator, non caritativus monitor, non emendationis proximi zelo ductus, sed alterius famae nocendi studio inflammatus judicetur, poenamque perpetuae privationis actuum legitimorum irremisibiliter incurrat.

Vallis. 1693. 555 Si appellationis causam in partibus committi contigerit, alicui probatissimo, nullaque ratione suspecto Patri ex vicinioribus Provinciis committatur.

Neap. c. 33. Vallis. Sup. Rom. 1639. 556 Quoties autem delicta juridice cognoscenda, et punienda sint, in iis, quae ad modum, et formam judicialiter procedendi pertinent, attendi, exacteque ab omnibus servari debeat Practica Criminalis Ordinis nostri ex praescripto comitiorum generalium scitissime elaborata, et Capitulo Generali probante, et mandante edita.

§. IV.

De Incorrigibilibus.

557 Qui post tria gravia delicta ejusdem, vel diversae speciei, intra vel extra claustra commissa, de quibus aliquando juridice, vel paternaliter monitum fuisse per acta juridica, vel per provinciae regesta constet, resipiscentiae signa non dederit, tamquam incorrigibilis perpetuis carceribus, vel etiam expulsione ab Ordine puniri possit. Bened. XIII. 9. Nov. 1729 Salm. c. 7. Vallis. 1593.

558 Ad effectum vero expulsionis, servata in reliquis forma ab Urbano VIII, et Innocentio XII praescripta, reus ipse in carceribus per aliquod tempus detineri, et de incorrigibilitate juridice constare debet, ita ut examinatis actis alias factis, seu sententiis contra eum alias latis, vel novis actis denuo confectis, tria, ut dictum est, gravia delicta juridice sint probata. Tum vero, spe cessante emendationis, a Ministro Provinciali cum provinciae Definitorio reus declarari possit incorrigibilis; non tamen expelli, nisi prius a Superiore Generali, cui acta hujusmodi mittenda sunt, de consilio sex graviorum Patrum, et cum voto Domini Consultoris saecularis, ejectionis sententia approbata sit, et confirmata. Bened. Sup.

Caput VIII.

Universi Fratres unum de Fratribus istius Religionis teneantur semper habere Generalem Ministrum, et servum totius Fraternitatis, etc. REGULA.

§. I.

De Ordinis statu, et provinciis.

559 Ordinis nostri toto terrarum orbe longe, lateque diffusi, habito Alpium respectu, pervetusta est divisio in Familias duas, Ultramontanam, et Cismontanam: cumque in hac divisione Bulla Unionis, praesertim quoad Praelatorum Generalium electiones, totiusque Religionis regimen fundetur; ad Ordinis universi, ac mutuam earumdem Familiarum perpetuo servandam unionem, et pacem, utriusque Familiae jura, ac termini, quales ab initio constituti sunt, omnino, et inviolate servari debeant. Tolet. 1633.

560 Subdividitur utraque Familia in Nationes tres. Ultramontanae sunt Hispanica, Gallica, Germano-belgica: Cismontanae Lombardica, Sicula, Ultramarina.

561 Rursum quaevis utriusque Familiae Natio in Provincias dividitur; quarum aliae latiores, sive magnae; aliae strictiores, sive mediocres, et parvae dicuntur. Magnae sunt, quae triginta, aut plures habent conventus: parvae, quae infra triginta numerant. Sed Romana Observantium, ob conventum Aracoelitanum, aliasque speciales ratio- Rom. 1571. Vallis. 1593. Rom. 1651. Tolet. 1658.

nes etiam citra dictam conditionem, statuitur inter magnas Familiae nostrae. Sunt vero aliae quaedam quasi parvae Provinciae, quae Custodiae dicuntur, sub regimine Custodum, qui eas instar Provincialium auctoritate ordinaria moderantur: qualis est in Familia nostra Custodia Terrae Sanctae.

Nic. IV. Quia Provinciarum. Rom. 1612 Ultram. c. 3.

562 Nulla Provincia de novo erigi, vel erecta dividi potest sine Summi Pontificis auctoritate. Quoties autem Provinciam aliquam de novo erigi contigerit, ut communi utilitati, et concordiae melius prospectum sit, Generalis Minister assumet ad officia Ministeriatus, et Definitorum, quos idoneos judicaverit.

Rom. 1600.

563 Provincia, quae tres saltem conventus, in quibus Artes, et Theologia legantur, cum necessariis ministris non habuerit, Provinciae nomine careat. Excipiuntur Ultramarinae, quae commode studia praedicta formare nequiverint.

Rom. 1676. Tolet. 1682. Dec. Min. Gen. 12. Junii 1684. Clement. XIV. Decet. 10. Jun. 1770. Idem. Sacram Min. famulam 9. Aug.

564 Ne inter provincias causa praecedentiae dissensiones sint, servari debeat series praecedentiae juxta chronicon Reverendissimi Gonzagae. Hinc juxta antiqua Ordinis statuta provinciae de novo erectae locum ultimum teneant. Provincias utriusque Familiae, qualiter pro hujus decreti executione, summa adhibita diligentia, dispositae alias fuerunt, numeramus, et nominamus infra: additis simili modo, et ordine, quae deinceps in hanc usque diem erectae sunt: translatis vero, et omissis, quae secundum novissimas constitutiones transferendae, et omittendae erant. (*)

Salm. c. 9.

565 Paci similiter, et tranquillitati publicae consulentes, per obedientiam, et in virtute Spiritus Sancti praecipimus, ne quis per se, vel per quamcumque interpositam personam suadeat, vel suaderi procuret alicui Praelato, Regi, Principi, Communitati, sive ulli personae extra Ordinem existenti, ut aliquid de statu Ordinis ejusdem, vel de ordinatione, divisione, aut unione alicujus provinciae, sive de Fratribus ab aliquo loco amovendis, vel non amovendis immutetur. Qui contra scienter fecerit, eo ipso excommunicationem, actuumque legitimorum privationem incurrat; nec absolvi, aut restitui nisi per Generalem, aut Provincialem possit: et cui haec poena non competit, alia condigna infligatur Superiorum arbitrio.

Tolet. 1658.

566 Inhibetur, ne provinciarum Procuratores ad Curiam Romanam, Matritensem, aut aliorum Principum mittantur, nisi de licentia scripta Superioris Generalis: aliter missi puniantur tamquam apostatae, et inauditi statim ad suas Provincias remittantur. Neque ideo Ministris provinciarum una cum suis Definitoriis tollitur mittendi facultas propter negotia.

Ibidem.

567 In quacumque item Curia, et pro quavis causa non instituantur provinciarum Procuratores: si quando tamen Superiori Generali expedire videbitur per suas patentes institui, non sint nisi triennales tantum, neque hoc ipsum fiat, nisi ex manifesta necessitate.

Rom. 1639.

568 Sit in utraque Familia Regestum, in quo notentur acta omnia

(*) Postrema tot provinciarum aut aversio, aut imminutio postulat, ut enumeratio illa impraesentiarum negligatur.

capitularia, non solum ad futuram rei memoriam, sed etiam ad cognoscendum Ordinis statum, et ad regiminis directionem. Cumque pro Rom. 1651.
servandis, ut par est, eisdem, aliisque ad commune bonum pertinentibus scripturis duo generalia archivia provide constituta sint, unum Romae in conventu de Aracoeli, alterum Matriti in conventu S. Francisci; utrique a Ministro Generali praeficiatur Arhivarius unus, qui sit Pater gravis, doctus, expertus, et fidus, qui easdem scripturas servet, distribuat, collocet, et in codicem referat, ut, dum opus fuerit, facile inveniri possint. Hinc socium habeat scribam, quo uti possit pro scribendis registris, et aliis: et ambo quoad regularem disciplinam subsint Provinciali Ministro, et Guardiano conventus, qui nec eos a suis officiis amovere, nec in aliis occupare possint, quibus a proprio munere distrahantur.

569 Nemini vero cujuscumque conditionis permittant Archivarii vi- Rom. 1651.
dere scripturas, vel ab archivio extrahere, nisi de scripta Superiorum Generalium licentia, sub poena triennalis privationis actuum legitimorum. Item singulis trienniis rationem reddent Superioribus Generalibus de incremento scripturarum; de statu archivii, et de his, quae pro adunandis, augendisque scripturis fieri oportuerit.

570 Sed et in qualibet provincia, ubi Definitorio commodius esse Rom. 1575.
videbitur, sit provinciale archivium ad reponendas scripturas omnes ad Vallis. 1593. Rom. 1603.
provinciam spectantes duabus clavibus diverso opere fabrili confectis, quarum alteram Provincialis, alteram antiquior provinciae Discretus habeat, tuto, ac bene conclusum. Sint in eo natalium, et aliorum requisitorum testimoniales literae, quas Novitius quisque attulerit: sit liber pro adnotanda Novitiorum receptione, et ad habitum, ac professionem admissione: alius pro adnotandis testimonialibus collatorum, susceptorumque ordinum literis: Examinatorum approbationes pro iis, qui ad ordines, ad verbi Dei praedicationem, ad sacram peccatorum confessionem admittuntur: liber pro adnotandis apostatis, et delinquentibus quibuscumque: processus desuper confecti, servandi pro tempore in constitutionibus praescripto; sententiaeque contra eos latae: numerus Fratrum pro unoquoque loco praescriptus, praescribendusve: inventarium bonorum immobilium ad Moniales spectantium: liber de earumdem Monialium receptione, ac professione: scripturae denique omnes, quas hisce constitutionibus servari sancitum est. Provincialis, qui haec neglexerit, suspendatur officio Generalis arbitratu. Item scri- Rom. 1603.
pturarum omnium inventarium rite confectum Provincialis penes se habeat, servetque diligenter, ut successori, cui cum clavi praedicta tradendum erit, de eo rationem reddere possit.

571 Quia ad retinendam regularis vitae disciplinam etiam privilegia Vallis. 1593.
apostolica plurimum conferunt, Judices Conservatores, qui ea tueantur, et conservent, Provinciales, in sua quisque provincia, pro unoquoque loco nominare, et eligere teneantur, sub poena privationis officii negligentibus subeunda.

§. II.

De ordinis officiis in genere.

Vallis. 572 Officiales Ordinis sunt Minister, Vicarius, Commissarius, Procurator, et Definitores Generales: Ministri, Vicarii, Commissarii, Custodes, Definitores, et Visitatores Provinciales: Guardiani, Praesides, et Vicarii Locales. Hic sistunt proprie dicta Ordinis officia. Horum alii per electionem, alii per institutionem fiunt: et qui per electionem, partim per schedulas, partim per calculos, sive per ballotationem; prout infra.

Urban. VIII. *Militantis.* Bened. XIII. *Universalis* Rom. 1642. 1667. 573 Qui Procuratores, et Commisarii Generales Curiae, Definitores Generales, Ministri provinciarnm, earumque Custodes, et Definitores fuerunt, quique Provincialium gratiis, et privilegiis ex Ordinis concessione gaudent, (excepta praecedentia, et socio, et, quoad Officiales Generales Curiae, et Definitores Generales, excepto insuper jure suffragandi per Ordinis statuta, aut per literas apostolicas eisdem respective concessis) ex officiis suis nullum habent, vel pretendere possunt jus, arbitrium, superintendentiam, intelligentiam, vel quovis alio nomine nuncupatam praeeminentiam in provinciis, conventibus, Fratrum collocationibus, aliisque dispositionibus, ita ut, nulla dictorum Patrum habita ratione, liberum omnino sit Provincialibus, et Definitoribus de conventibus disponere, Guardianos instituere, Fratres collocare, aliaque exequi, sicut communi provinciarum bono viderint expedire.

S. C. 20. Nov. 1654. 574 Officiorum cessationes, seu renunciationes ab Officialibus fieri non possint, nisi ex causa a Definitorio cognoscenda, et approbanda. Causa autem semel admissa, eaque durante, neque per electionem, neque per subrogationem, aut aliam quamcumque viam resignantes, seu cedentes ad ea ipsa munia assumi possint.

Vallis 1593. 575 Qui pecunias, aut dona dederit, aut promiserit, ut pro se officia, dignitates, gradus, honores consequatur, non ipse solum, sed et Frater, qui receperit, quicumque sit, poenas per sacros canones contra Simoniacos statutas, et constitutionibus apostolicis de largitione munerum contentas omnino subeat; si de eo legitime constiterit.

Ultram. c. 2. 576 Admonemns omnes in officio aliquo constitutos, ut ministeria sua fideliter exequantur, et inferiores pareant Superioribus, ita ut Religiosi omnes Vicariis, Vicarii Guardianis, Guardiani Provincialibus, Provinciales Commissariis Generalibus, Commissarii Generales Generali Ministro reipsa obedire teneantur. Ad confusionem autem tollendam, caveant omnes, ne in suis officiis invicem se conturbent: hinc Superiores Praelati inferiores non impediant, quominus officia sua libere exequantur; sed eos potius juvent, ac foveant; ut antiqui nostri Patres statuerunt,

§. III.

De officiorum repugnantia.

577 Cum Superiorum Provincialium in suis provinciis residentia sit juri divino, et canonico conformis, totiesque praecepta, cui alterius provinciae visitatio omnino opponitur; declaramus, actualem Ministrum, aut Vicarium Provincialem institui non posse Commissarium Visitatorem alterius provinciae, institutionemque ipsam irritam esse, et nullam. Rom. 1679.

578 Qui Definitores provinciarum pro tempore sunt, Guardiani esse non possunt, nisi speciali Generalis concessu, urgentibus de causis, Definitorii Patribus aliter expedire videatur. Paul. IV. *Viam ambitionae.* Rom. 1571. Neap. c. 32. Vallis. 1593.

579 Perpetui quoque provinciarum Definitores, et Discreti Guardiani esse nequeunt, nisi cum eis specialiter dispensatum fuerit. Dispensatio vero Definitoriis ipsis libera sit; quae tamen nonnisi urgentibus de causis pro principalioribus provinciarum locis fieri debet: sed quo tempore eorum quis Guardianus fuerit, de corpore Definitorii esse non possit. Vallis. Sup.

580 Declaratur, officium Guardiani conjungi non posse cum officio Commissarii Provincialis eligendi pro tempore absentiae Ministri, aut Vicarii Provincialis. Hinc Guardianus, si eligatur, renuntiare debet officio Guardiani, ut confirmari possit in officio Commissarii. Rom. 1700.

581 Declaratur item componi simul non posse officia Guardiani, et Secretarii provinciae. Hinc si Secretarius eligatur in Guardianum, eo ipso censeatur absolutus ab officio Secretarii; et pari modo si Guardianus assumatur in Secretarium. Tolet. 1682.

582 Similis repugnantia statuitur inter officia Provincialis, et Officialis Generalis Curiae. Rom. 1723.

583 Quo tempore quis Guardianus fuerit, Novitiorum Magister esse nequeat. Vallis. 1593.

§. IV.

De officiorum vacatione.

584 In gradibus, sive officiis generalibus Ordinis nulla temporis vacatio requiritur, vel attendi debet in ascensu ab inferiori ad superiorem gradum: in descensu vero a superiori ad inferiorem, vel in transitu ad aequalem duplex intercedere debet vacatio, idest tempus duorum capitulorum generalium, sive duodecim annorum. Clement. XII. *Exponi. Nobis.*

585 Vicarius Generalis, Commissarius, et Vicecommissarius generalis Familiae, qui minus biennio gubernaverint, gesti officii privilegiis non gaudent: quare ad idem, vel aliud generale officium nulla interposita vacatione assumi possunt. Rom. 1651.

586 Generatim officii functio pro tempore, quod ad ejus consequenda privilegia non sufficit, immediatam ad idem, vel simile officium electionem non impedit. Ibidem.

*

Salm. c. 8. Greg. XIII. *Consuevit.* Greg. XV. *Militantis.*

587 Minister Provincialis suo functus officio non potest immediate fieri Guardianus. Item, denuo Minister, nisi post sexennium; aut Vicarius Provincialis nisi post triennium eligi nullo modo potest. Sed in alia provincia antea etiam esse potest, justis de causis, generalis arbitrio.

Pius V. *Pastoralis.* Aqil. 1559. Vallis. 1593. Rom. 1609. Rom. 1651. S. C. 20. Nov. 1654.

588 Qui Vicarius provincialis biennio fuit, nullo modo eligi sive in Ministrum, sive in Vicarium Provincialem biennio duraturum potest, nisi interposita triennii vacatione. Qui vero minus biennio fuit, immediate, sine ullo interstitio eligi ad utrumque officium potest.

Vallis. 1593. Rom. 1639 1664. Salm. c. 8.

589 Minister Provincialis in capitulo, in quo suum explet officium; pariterque Vicarius Provincialis, qui biennio provinciam rexerit, in Custodem eligi immediate potest; in Definitorem non potest, sub nullitate electionis. Item in eodem capitulo assumi nequit ad officium Guardiani.

St. Ref. c. 8. Victor. 1694.

590 In Reformatione tum Provincialis ipse, tum Custos etiam, et Definitores eo in capitulo indispensabiliter eligi nequeunt sive in Guardianos, sive etiam in Vicarios, aut Confessarios Monialium; addita quoad Provincialem nullitatis poena.

Greg. XV. Sup. Rom. 1651. 1750 S.C. 24. Jan. 1633

591 Sexennii requiritur interstitium, ut Custos in Custodem, et Definitor in Definitorem eligi possit. Hac non servata conditione, electio est nulla. Id intelligas de Definitore etiam subrogato, modo biennium expleverit. Sed in provinciis strictioribus, quoties septem saltem non supersint Fratres, ex quibus Custodis, et Definitorum electio ad praescriptum constitutionum perfici possit, pro iterata hujusmodi electione satis erit triennio vacasse.

Rom. 1651. Tolet. 1658.

592 Custos sub nullitate electionis eligi in Definitorem nequit, nisi exacto triennio: definitor autem in Custodem eligi immediate potest.

Salm. c. 8. Paul. IV. *Viam ambitiosae.* Rom. 1612. 1651.

593 Qui primo Guardianus eligitur, per annum officio functus, anno vacare debet, priusquam ibi, vel alibi etiam denuo Guardianus fiat. Deinceps vero si triennio Guardianus fuerit, nisi similiter anno vacet, sive in eodem, sive in alio conventu rursum eligi non potest; aliter electio erit nulla. Neque post idem triennium sive ejusdem, sive alterius loci Praeses in capite esse potest.

Rom. 1612. 1664.

594 Qui conventui vacanti Praesidentis titulo praefectus est, si ultra duos menses eum rexerit, ibidem in Guardianum immediate eligi non potest. Provincialis, qui contra fecerit, vel consenserit, privatur officio, et electio est nulla.

Rom. 1951. S.C. 17. Novemb. 1651.

595 In subrogationibus, quas ad praescriptum constitutionum Ordinis fieri contingit, attendi non debet ad annos vacationis: subrogari enim potest, quin vacationis tempus impletum sit.

S.C. 9. Maj. 1653. Tolet. 1682.

596 Vacationum anni, de quibus in statutis fit mentio, nisi secus exprimatur, non solares, sed capitulares accipiendi sunt: qui tamen decem saltem, vel undecim mensibus constare debent: excepto casu imminentis capituli generalis, vel alio rationabili ad judicium Superioris Generalis.

§. V.

De electione in genere.

597 Omnis electio canonica esse debet. Canonica autem dicitur, quae Vallis. 1593.
a majori parte capituli, seu congregationis celebratur: majorem vero
partem quilibet excessus facit; ut si vota sint novem, quinque majorem partem constituunt.

598 Quo autem omnia recte, et sine fraude fiant, electio libere per Trid. Ses. 25. c. 6. Pius V. *Pastoralis.*
vota secreta peragenda est, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Neque ad effectum electionis aut titulares Officiales Innocent. XII. *Christifidelium*
instituere, aut absentium voces supplere licet. Si secus fiat, electio est nulla.

599 Electionis praeses, si formam praedictam transgredi, sive ele- Pius Sup.
ctores, quominus libere agant, quovis modo impedire convictus fuerit,
officio privatus existat.

600 Qui donis, promissis, precibus importunis, laudibus, aut vi- Vallis. Sup.
tuperationibus falsis aliquem inducit, vel inducere conatur, ut sibi, vel
alteri suffragium ferat, hunc subornatorem dici, et esse declaramus:
eumque similiter, qui ad eumdem finem obligationes, et inductiones facit: secus esset, si quis consulendo, vel conferendo quempiam dignum,
vel indignum diceret. Qui autem in electionibus, vel ante eas per sex Pius Sup. Gregor. XIII. *Consuevit.*
menses pro se, vel pro alio, per se, vel per alium subornaverit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrit Ministro, et Commissario Generali reservatam, quando de ipsis non agitur: ipsi vero, si pariter subornando deliquerint, ab eadem sententia a solo Summo Pontifice absolvi poterunt. Ad haec subornator quisque privatur officiis, quae obtinet, Clement. VIII. *de reform.*
et ad futura quaecumque inhabilis est; super quo a nemine, praeterquam Salm. c. 8.
a Summo Pontifice dispensari poterit: gravius etiam pro delicti qualita- Clem. Sup.
te puniendus: eaedemque poenae ad complices etiam, et simpliciter scientes, et non revelantes extenduntur.

601 Privationes vocis activae, et passivae, et inhabilitatis decreta, Clem. VIII. decret. Visit. Apos. 14. Octob. 1601.
sententiaeque a Superioribus Ordinis latae ne in ipso electionis actu pronuntientur, promulgenturve: promulgatae vero vocales minime efficiant,
nisi per mensem ante intimatae fuerint.

602 Ad effectum celebrandae electionis, Electores, praemissa gene- Vallis. Sup.
rali confessione, a Praeside generaliter absolvendi sunt.

603 Priusquam ad electionem deveniatur, legantur constitutiones de Clem. VIII. *De ref.*
qualitatibus eligendorum; jurentque Electores secundum veritatem cujus- Vallis. Sup.
que coscientiae probiores, ac magis idoneos se electuros.

604 Electio intra diem unum, hoc est a Solis ortu ad occasum usque Vallis. Sup.
omnino fiat. Si infra id tempus peracta non fuerit, si de Generali Ministro res sit, ad Sanctam Sedem Apostolicam devolvitur: si de aliis Officialibus, liberum sit Praesidi, secundum juris dispositionem, quem
voluerit secundum Deum eligere, quibusdam exceptis, de quibus suo loco.
Id ipsum servari debeat, si quando Electores indignum scienter elegerint.

605 Electus, quicumque sit, praeter Generalem Ministrum, de quo Vallis. Sup.

infra, nullam auctoritatem habeat, quousque a Praeside confirmatus fuerit. Praeses autem, nisi causa legitima subsit, statim electum confirmet: qui si electioni de se factae consensum dederit, mox officium exercere teneatur.

Rom. 1639. 606 Ne liceat Generali Ministro, multoque minus inferioribus Praelatis, qui electionibus praesident, illas iam inchoatas suspendere, aut iis congregatis, ad quos spectat faciendis electionibus interesse, eas impedire, ne fiant; neque functiones, quae ad congregationem legitime convocatam spectant, suspendere, aut impedire: id enim irritum foret, utpote violentum, electionisque libertati contrarium.

Vallis. ex comp. privil. V. Electio. 607 Solemnitatibus autem, aut formis a jure statutis in electionibus, earumque confirmationibus electores, et confirmatores non arctantur.

§. VI.

De electione per schedulas.

Rom. 1587. Sixt V. *Et communis eura.* 608 Quia ex Sacra Tridentina Synodo electionis per vota secreta celebrandae certa forma non praescribitur; idcirco Superiorum, aliorumque Officialium electiones (exceptis, de quibus §. sequente) per scrutinium, sive per schedulas secretas fieri decernimus.

Salm. c. 8. Vallis. 1593. 609 Pro hujusmodi electione Disquisitores institui oportet, qui neque plures, quam sex, neque pauciores, quam duo esse debent: iique de corpore capituli, nisi ob paucitatem Vocalium, communi eorum consensu, externum quempiam quandoque institui placeat.

Ex eisdem. 610 In Capitulo generali sex adhibentur, Cismontani tres, ac totidem Ultramontani; iique a Generali Ministro, eoque absente, a digniore inter praesentes proponendi sunt, et communi Discretorum Ordinis, et Definitorum Generalium consilio, et consensu instituendi. In Provinciali Capitulo tres deliguntur, propositi ab eo, qui electioni praesidet, et Patrum Definitorii communi consilio, et consensu instituti.

Ex eisdem, et Sixt. Sup. 611 Delecti coram Praeside, et Capitulo genua flectunt; eosque Praeses, sub excommunicationis ipso facto incurrendae poena ad electionis secretum obstringit, ita ut neque verbo, neque scripto, neque nutu, neque alio quovis modo eligentium nomina publicentur unquam, aut publicari possint.

Salm. et Vallis. Sup. 612 Quo facto, surgunt, et loco aperto, et conspicuo, ut a Capitularibus omnibus facile videri possint, ad mensam ad id paratam sedent. Qui eorum pro dignitate, vel pro habilitate medius sederit, Secretarii scribae fungatur officio. In eadem mensa instrumenta erunt ad scribendum necessaria, cum vase aperto ad schedulas recipiendas.

Ultram. c. 7. 613 Electores singuli in singulis schedulis sua suffragia manu propria scribunt, proprioque subscribunt nomine, clauduntque subscriptionem ipsam, ut legi non possit, nisi necessitas urgeat.

Ibidem. 614 Tum singuli vocantur, incipiendo a dignioribus: quisque ordine suo accedit; jurat, ut supra, suamque schedulam in vas ad id in mensa positum infert.

615 Omnibus illatis, ab eo, qui electioni praeest, coram Disquisitoribus supra mensam contrahuntur omnes, diligenterque numerantur. Si numerus congruat, ab eisdem Disquisitoribus coram Praeside leguntur, et ab eo, qui secretarii fungitur munere, aliis inspicientibus, in folio ad id parato accurate notantur. Vallis Sup.

616 Hac expleta scrutatione, si electio facta sit, publicatur, ut infra: sin minus, publicandum, quot quisque suffragia perceperit (quod in simili semper observandum erit): deinde iterantur infra constitutum tempus eodem modo scrutinia, quousque electio succedat. Salm. et Vallis. Sup.

617 Qua perfecta, Secretarius Scriba eam exarabit, ac primo illum designans, qui pauciora consecutus fuerit, deinde alios gradatim, exponat suffragiorum numerum cuique respondentem: ac demum secundum usitatam formam, clara, et intelligibili voce electionem prounntiabit. Tum canitur hymnus pro gratiarum actione, et alia succedunt, de quibus sub titulo de electione Generalis Ministri. Ex eisdem.

618 Ne autem suffragia patefieri unquam possint, peracta electione schedulae omnes coram Capitularibus comburantur: quod etiam fieri oportet, quoties in scrutinio error intercesserit. Salm. Sup. Sixt. Sup.

619 Si quis in electionibus sibimet ipsi suffragatus fuerit, utrinsque vocis jure perpetuo careat. Salm. 1618.

§. VII.

De electione per calculos.

620 Hoc modo (excepto Procuratore Generali Discalceatorum, et Recollectorum) eliguntur Officiales Generales Curiae; ut alibi dicetur. Item (excepto Vicario Provinciali, de quo suo loco) eodem modo faciendae electiones omnes ad Definitorium Provinciae pertinentes, Guardianorum videlicet, Commissariorum, qui ad regendam absente Ministro provinciam destinantur: et Custodum, quos extra capitulum, vel eo soluto eligendos esse contigerit. Sed apud Reformatos Commissarii praedicti per schedulas, nemine proponente, eligendi sunt. Rom. 1652. Urb. VIII. *Religiosos viros.* Vallis 1670. S.C. 27. Jan. 1645

621 Modus autem electionis erit, quod antequam Patres Definitorium ingrediantur, fiat inter ipsos discussio super meritis, et qualitatibus promovendorum, et praecipue attendatur justitia distributiva pro pacis conservatione. Deinde (quod ad Guardianos attinet) Praeses, sive Provincialis pro quolibet conventu successive unum proponat, super quo sumantur ab Electoribus calculi nigri, vel albi ad id parati, et secreto absque alia discussione ponantur in urna: tum patefactis calculis, si major pars erit affirmativa, electus intelligatur: si vero negativa, proponatur alius, ut supra, donec electio fiat: si autem vota fuerint aequalia, poterit Praeses voto decisivo uti. Idem proportione servandum in ceteris electionibus. Sed usus voti decisivi Praesidi non liceat, nisi vota per tres vices aequalia fuerint. Rom. 1664. Clement. VIII. *de refor.* n. 36. S.C. 27. Maj. 1653 Tolet. 1682.

§. VIII.

De Electoribus.

Salm. c. 8. Neap. c. 32. Vallis. 1593.

622 In electionibus quibuscumque in Ordine universo vocem activam habent Generalis Minister, qui Ministri Generales fuerunt, quique Vicarii Generalis munere per biennium functi sunt, tamquam Patres, et Discreti perpetui utriusque Familiae.

Ex eisdem.

623 In sua autem Familia respective in electione Commissarii Generalis secundum Bullam Unionis, sive in capitulo, sive in congregatione generali; et in aliis quibuscumque ejusdem Familiae electionibus, pariterque Generalis Ministri ubivis eligendi vocem activam habent, tamquam alterius Familiae Patres, et Discreti perpetui, Commissarii Generales electi secundum Bullam Unionis, sive officio fungantur, sive biennio functi sint. Eodem jure gaudent Vice-commissarii Generales totius Familiae, atque illi etiam, quos separatim pro solis Observantibus, aut Reformatis quandoque eligi contigerit.

Rom. 1651. Clement. XI. *Cum secut.*

Sixt.V. *Cum ad regendos.*

624 Commissarius Generalis Indiarum residens in Curia Regis Catholici suffragii jus habet in electione Generalis Ministri, ubicumque eligatur.

Salm. Vallis. Sup. Urb. VIII. Injuncti. Clement. X. *Ad supplicationem.* Rom 1639. 1651. Alex VII. *Ratio justitiae.* Clemen. XII. *Exponi nobis.*

625 Officiales Generales Romanae Curiae suffragantur in capitulo generali pro electione Generalis Ministri, et pro aliis quibuscumque electionibus ad suas respective Familias pertinentibus. Similiter in congregatione generali pro electione Commissarii Generalis Familiae suffragantur ex praedictis, qui sunt de eadem Familia. Rursum iidem omnes officio functi, modo illud ad initium usque triennii gesserint, in sua quisque provincia, perpetui Vocales electionum omnium sunt.

Rom. 1639. Clem. XII. *Injuncti.*

626 Eodem respective jure potiuntur Definitores Generales, sive actuales, sive habituales.

Rom. 1676. Bened. XIV. *Exponi nobis.*

627 Secretarii Generales Ordinis, seu qui a secretis sunt Ministri, aut Vicarii Generalis, vi officii votum electivum habent in Capitulo Generali tantum.

Mant. 1762. Clement. XIII. *Quaecumque.* Ex regula et consuetud.

628 In eodem generali capitulo suffragantur Provinciarum omnium Ministri, et Custodes; non vero copulative, sed disjunctive. Ad vitanda enim incommoda profecto gravissima ex nimietate Vocalium ejusdem capituli provenientia, saluberrimo decreto apostolicis literis specialissime confirmato provisum est, ut ex qualibet provincia solus accedat Provincialis Minister, vel, eo deficiente, Custos. Item in eodem capitulo suffragantur Custodes regiminis, seu qui Custodes custodiarum sunt. De habentibus votum in aliis electionibus locis propriis dicetur.

Trid. Sess. 22. cap. 1. Vallis. 1593.

629 Meminerint vero Electores quicumque, nihil se ad Dei gloriam, Ordinis bonum, et Fratrum salutem utilius facere posse, quam si, quos digniores, aptioresque, et Religioni magis utiles in Domino judicaverint, non quidem precibus, aut humano affectu, vel ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis promoveri studeant, et quos vita, aetate, doctrina, pietate, aliisque praeditos qualitatibus agnoverint, quae per sacros canones, et regularia Sanctorum Patrum instituta requiruntur.

§. IX.

De eligendis.

630 Qui ad Ordinis dignitates, et officia promovendi sunt, ad ea diligenter, et pro dignitate exequenda habiles, et sufficientes esse debent. Sunt vero qui ad aliqua, sunt qui ad alia, nonnulli ad omnia Religionis munera per sacros canones, sanctionesque apostolicas, perque ipsas Ordinis constitutiones inhabiles omnino, et incapaces redduntur.

Vallis 1593.

631 Qui ex Judaeis, Mauris, Mahumetanis, vel haereticis damnatis, quorum statuae, vel ossa combusta sunt, originem ducunt, si forte ad Religionis habitum admitti impetraverint, ad omnia prorsus officia inhabiles sunt, et utraque voce perpetuo carent; neque cum eis sine speciali facultate apostolica dispensari licet.

Paulus IV. *Cum ex Apostolatus.* Pius IV. *Provisionis nostrae.* Gregor. XIII, *Consuevit.*

632 Qui ex sacrilegio procreati, quique illegittime nati sunt, si ad Ordinem admissi fuerint: primi quidem ad omnia Ordinis officia, secundi vero ad dignitates, et officia, quae ad residentiam, et regimen spectant, inhabiles declarantur. Quod si cum eis dispensatum fuerit, de dispensatione ipsa per literas Generalis Ministri manu propria signatas, ejusque officii sigillo munitas constare debeat.

Vallis. 1565. 1593.

633 Sunt etiam ad dignitates, et officia perpetuo inhabiles, qui ob crimina, vel quavis alia ratione infamia laborant.

Vallis. 1593.

634 In Praelatum, sive Superiorem eligi non possit, qui vitam communem non sequatur, hoc est, qui frequenter equitet, qui indusiis, seu camisiis, aut lineis utatur apud se, vel in lecto; qui calceatus incedat; qui jejunia Ecclesiae, et Regulae non servat; qui aliquando visus sit contrectare pecunias, nisi jam per triennium saltem emendatus sit; qui notabiliter deficiat in assistendo communitatibus chori, refectorii, et aliis, prout sibi in constitutionibus praescribitur: tametsi ex infirmitate, aut alia quavis necessitate sine culpa id accidat. Electio autem illius, qui in praedictis omnibus vitam communem non sequatur, irritanda sit a Praelato Generali, capta informatione extrajudiciali pro sua conscientia, sine strepitu judicii, cum consilio tamen, et assensu trium Patrum, qui Provinciales, vel saltem Definitores provinciae sint, vel fuerint; ipsorum oneratis conscientiis, ne aut ille excludatur, qui vitam communem sequitur, aut ille confirmetur, qui eam non servat.

Rom. 1612. 1676. Pius V. *Pastoralis.* Innocent. XI. *Solicitudo.* Innocent. XI. *Alias.*

635 Generatim qui in choro, victu, vestitu, et aliis, quae ad communem vitae usum pertinent, communitatem non servant, ad nullum Ordinis officium, dignitatemque promoveri possint. Ministri, et Definitores, qui tales promoverint, sint ipso facto officiis privati.

Neap. c. 2. Tolet. 1633.

636 Laici transeuntes ad statum clericalem ad Ordinis officia, et dignitates assumi non possint.

Rom. 1639.

637 Sunt etiam, qui ob aliquos defectus, vel crimina perpetuo, vel ad tempus ad aliqua, vel omnia Ordinis officia inhabiles sunt; prout ipsis Ordinis constitutionibus expressius cavetur.

Vallis. 1593.

638 Dignis ergo, et habilibus officia conferenda sunt, ut qui aliis

Ex eisdem. Trid. Sess. 22.

cap. 1. et 2. Rom. 1575. loco praestant, moribus etiam, vitaeque integritate praecellant. Praeferendi etiam sunt viri literati, et docti, qui scientiae adjumento muneribus injunctis pro dignitate fungi possint. Judicium vero probitatis, et doctrinae a Ministro cum Definitoribus ferendum est.

Rom. 1691. 639 Ubi statuta generalia aetatem praescribunt pro obtinendis officiis sine expressione anni completi, intelligi debeant de anno incepto tantum: sicque judicandum erit in difficultatibus, et controversiis, quas super hac materia anni incepti, et completi oriri contigerit.

REGULA.

In Capitulo Pentecostes Provinciales Ministri teneantur semper insimul convenire, ubicumque a Generali Ministro fuerit constitutum.

§. X.

De Capituli Generalis indictione, et apparatu.

Vallis. 1593. Bulla unionis. 640 Generale Capitulum, quod ex Regulae praescripto semel in tribus annis, vel ad alium terminum majorem, vel minorem Ministri Generalis arbitrio celebrandum esset, ex Constitutione Apostolica quolibet sexennio alternis vicibus, modo in Cismontanis, modo in Ultramontanis partibus, ubi a Generali Ministro de Discretorum Ordinis consilio, et consensu constitutum fuerit, tempore Pentecostes celebrari debet.

Salm. c. 8. Vallis. Sup. 641 Urgentibus tamen de causis integrum erit Generali Ministro de aliquorum Patrum Ordinis consilio locum mutare. Tempus vero Vigiliae Pentecostes Ministri Generalis electioni ita praefixum est, ut aut praeverti, aut protrahi nullatenus possit.

Vallis. Sup. 642 Quo autem loco, aut tempore celebrandum erit, Generalis Minister suis encyclicis literis Ordinem universum opportune praemonere debeat: simul Vocales omnes ad Capitulum vocans, et pro ejus felici eventu preces, et supplicationes publice, et privatim habendas indicens. Quas literas Provinciales Ministri in sua quisque provincia promulgare teneantur, simulque curare, ut indicta precum, et supplicationum officia praescriptis temporibus fiant.

Ex eisdem. 643 Prae ceteris a Resurrectione Domini ad diem usque electionis, qualibet quinta feria solemni festo non impedita, cantetur Missa de Spiritu Sancto in singulis conventibus, et a singulis Sacerdotibus statuta saltem ejus oratio dicatur. Quotidie hymnus *Veni Creator* cum versiculis, et orationibus de Spiritu Sancto, de Beata Virgine, et de Seraphico Patre Nostro Francisco in choro dicatur, vel cantetur etiam, prout usuvenerit opportunius. Ab Ascensione autem Domini ad Pentecosten usque, singulis festis diebus per ecclesias, et claustra processiones fiant, et cantentur Litaniae.

Ex eisdem. 644 Ipsa vero Sacrae Pentecostes vigilia, sacramentali praemissa confessione, Sacerdotes omnes celebrent, alii communicent. Summo

mane solemnis Missa solemni ritu celebretur, solemnisque processio per ecclesiam, et claustra fiat: ut vel sic profusis precibus, et cordibus, optimum Pastorem, et Patrem per Dei misericordiam consequi possimus.

645 Ministri Provinciales quacumque occasione, vel causa ad capitulum non accedentes, expleto Ministeriatu, inter Exprovinciales praeteritos, et futuros ultimum locum perpetuo habeant. Qui vero sine legitimo impedimento generali capitulo probato accedere neglexerint, insuper privationis officii poenam incurrant; et suffragiorum jure triennio careant. Tolet. 1658. Vallis. Sup.

646 Provinciae autem Ministro sese excusante, aut legitime impedito, ejus loco actualis Custos, tamquam legitimus ejusdem provinciae Vocalis, ad Capitulum accedet, et in eo stationem habebit eidem provinciae correspondentem. Nulla itaque deinceps fiet Prominstrorum electio, sub poena privationis utriusque vocis per decennium, et officii, vel officiorum, quae habuerint, subeunda a Ministro, Custode, et Definitoribus, etiam Generalibus habitualibus, qui dictae electioni consenserint. Prominstri vero acceptantes, et ad Capitulum accedentes easdem subibunt poenas, et nullo modo ad suffragandum admittentur. Mant. 1762. Clement. XIII. *Quecumque* Valent. 1768.

647 Suffragia provinciarum titularium, quae actu non subsistunt, per Ministrum, aut Vicarium Generalem Ordinis suppleri, aut substitui omnino prohibetur; quacumque in contrarium revocata consuetudine. Rom. 1676. Innocent. XI. *Militantis.*

648 Item nemini Praelatorum, et Vocalium quorumcumque alteri etiam tamquam procuratori, absenti, vel praesenti vices suas committere licet, sive ad eligendum in Capitulo Generali, sive ad alios actus ibi exercendos. Rom. 1639. Urban. VIII. *Circumspecta.*

649 Ut provinciarum, atque Ordinis universi status Capitulo Generali adaequate, ut par est, innotescat, omnes utriusque Familiae Provinciales, et Custodes, sub poena privationis suorum officiorum exequenda in ipso Capitulo Generali (etiam si absint a Capitulo) instituere teneantur relationes ad Capitulum perferendas sub norma infrascripta. Rom. 1651.

Provincia N. N.

I. Habet Conventus . . . .
Habet Fratres . . . .
Habet Conventus Monialium . . . .
Habet Sorores . . . .
Habet viventes Fratres . . . .
Habet viventes Sorores . . . .
Habet Praedicatores . . . .
Habet Lectores Jubilatos . . . .
Habet Patres Provinciae . . . .

II. A Capitulo Generali usque modo mortui sunt Fratres . . . .
A Capitulo Generali usque modo mortuae sunt Moniales . . . .

III, Adducantur conciso stylo vitae Fratrum, vel Sororum, qui mortui fuerint cum aliquo odore, et opinione sanctitatis: Conventus

Fratrum, et Monialium recenter fundati: Nomina, qualitates, et beneficia Fundatorum; nomina insignium Benefactorum, ut Religio suis precibus habeat commendatos.

IV. Informationes Fratrum morientium cum opinione Sanctitatis incipiant hoc modo. In provincia.... tali die, tali anno, in tali conventu mortuus est talis Frater, vel Monialis, cujus vita, post informationes factas ab Ordinario, adducitur fideliter scripta in hoc libello isto modo . . . .

V. Debent referri conversiones infidelium, propagationes fidei catholicae, miracula ibidem facta, et quodcumque mirabile opus, quod cedat in laudem Dei, exaltationem Fidei, et honorem Religionis.

VI. Haec omnia consuta filo complicato, in libello sine curiositate disposito, ne folia dispergantur, lingua, et charactere latino, litterisque claris, munita sigillo provinciae et subscripta a toto Definitorio, Minister Provincialis, aut Custos deferre debet ad Capitulum generale, ut sub propriis provinciarum titulis legantur in Capitulo, et in generali Ordinis archivio serventur.

Valiis. 1593. 650 Scripturae, aut Syndicationes, si quas contra Generales, aut Officiales Curiae, sive alios quosvis mittendas provinciae habuerint, Provincialium Discretorum propria manu obsignatae, et mojori provinciarum sigillo munitae a Vocalibus deferantur, in Capitulo producendae. Quod si nullae ejusmodi scripturae fuerint, id ipsum communibus sub simili authentica forma literis ostendendum erit. Qui non fecerint, ad suffragia in Capitulo ferenda non admittentur.

Vallis. Sup. 651 Si ob locorum distantiam pro Vocalium ad comitia euntium itinere sumptus fieri necesse fuerit, per provincias, juxta contributionem pro singulis locis Patrum judicio taxandam, suppeditari debeant. Locorum Superiores, qui restiterint, privationis officii, et suffragiorum Tolet. 1658. juris poenam eo ipso incurrant. Eamdem ab causam Definitoribus Generalibus necessaria subsidia, cura, et solicitudine Ministri, eorum pro- Vallis. Sup. vinciae praestare teneantur. Ii tamen omnes euntes, et redeuntes ita parce, ac modeste se gerant, ut pro instituto, quod profitentur, sanctae paupertatis semper meminerint.

Rom. 1676. Innoc. XI. Sup. 652 Minister quilibet, aut Custos cum socio religioso, unico tamen, iter faciat: qui socius (si itineris causa expensae, ut supra, necessario faciendae fuerint) sit tertiarius a Syndico Apostolico substitutus, ut ejus nomine expensas illas inevitabiles faciat.

Salm. c. 8. Vallis. Sup. 653 Comitiorum tempore, quousque Vocales ad propria redierint, nihil in provinciis innovetur. Quod si Guardianum quempiam, aut Monialium Confessorem tale crimen admittere contigerit, cujus punitio sine scandalo differri nequeat, Provinciae Rector, communi Patrum consilio, et assensu, criminosum punire, atque etiam officio destituere possit, et alium usque ad Vocalium reditum substituere. Quidqnid contra hoc decretum attentatum fuerit, irritum, et inane sit: et qui fecerit, suffragiorum jure, et officio quocumque eo ipso carcat; gravius etiam puniendus Superiorum arbitratu.

654 Praelato Generali serio commendatur, ut praesidentiam thesium, et conciones, quae in Capitulis Generalibus habendae sunt, quantum cum Religionis honore fieri possit, Vocalibus distribuat. Rom. et Innoc. Sup.

§. XI.

De agendis in Capitulo ante electiones.

655 Ubi Capitulares ad praescriptum locum praescripto tempore pervenerint, in primis gratiae Deo agendae sunt, quod singulari ejus beneficio, et misericordia, pro communi Ordinis utilitate, ad ejus laudem, et gloriam pervenire potuerint. Id autem campanarum sono significetur; solemnique per ecclesiam, et locum capitularem processione facta, solemnis Missa pro gratiarum actione cantetur. Vallis. 1593.

656 Si omnes, qui comitiis interesse debent, statuto tempore non advenerint, non ideo omittenda erunt, quae capitulari loco, et tempore tractari, et expediri oportebit: imo tametsi plures, atque ipsum etiam Generalem Ministrum deesse contigerit, Capitulum tamen omnino celebrandum est. Quod si Minister Generalis opportuno tempore non accesserit, neque alius Capituli Praeses sive auctoritate apostolica, sive ab ipso Generali de potestatis plenitudine designatus fuerit; Commissarius Generalis, qui actu est, ipsoque etiam deficiente, Discretus Ordinis inter praesentes antiquior praesit. Salm. c. 8. Vallis. Sup.

657 Ubi Capitulares capitulariter congregari oportuerit, hoc ordine sedebunt. Minister Generalis actualis primum locum tenet: deinde qui Ministri Generales fuerunt, aut biennio Vicarii Generales: tum Commissarius Generalis Familiae: postea qui alias Commissarii, aut Vicecommissarii Generales biennio fuerunt: succedit Commissarius Generalis Indiarum residens in curia Regis Catholici. Deinde Procurator Generalis Ordinis, Commissarius Generalis Romanae Curiae, Procurator Generalis Reformatorum, Procurator Generalis Recollectorum, et Excalceatorum. Post Definitores Generales utriusque Familiae. Inde Secretarii Generalis Ministri. Tum Minister Provinciae capitularis, et successive aliarum omnium Vocales juxta dignitatem provinciarum; similique ordine Costodes regiminis. Item Procurator Generalis Ordinis, aliique Capitulares de familia Generalis Ministri a dextris sedent: a sinistris vero Commissarius Generalis Romanae Curiae, ceterique de familia Commissarii Generalis. Ex eisdem. Rom. 1651.

658 Facta vero electione Generalis Ministri, eum, toto durante Capitulo, primo loco sequitur Minister Generalis immediate officio functus; pariterque electo Commissario Generali Familiae immediatus ejus Praedecessor primo post eum loco sedet: electisque Officialibus Curiae, eisdem proxime succedunt, qui immediate eodem officio functi sunt: et novos Definitores sequuntur, qui nuper idem officium deposuerunt. Ex Salm. Vallis. Rom. Sup.

659 Ceterum si contigerit, quempiam debito loco non sedere, ac inde sententiam etiam sub verbo *Placet* proferre, congregationibus in- Vallis. Sup. Ex Trid. Sess. 2.

teresse, et alios quoscumque actus facere durante Capitulo, nulli propterea praejudicium fiat, nullique novum jus acquiratur: quod etiam in aliis generalibus, aut provincialibus comitiis quibuscumque intelligendum esse decernimus.

Vallis. Sup. 660 Quos autem praedicationis, aut disputationis gratia Generalis Ministri jussu capitulo adesse contigerit, eos, aliosque omnes, ut suo loco sedeant, ejus cura sit, quem Generalis Minister ad id specialiter destinandum censuerit.

Ex eisdem. Ultram. c. 8. 661 Congregatis in designato loco Ordinis Discretis tum perpetuis, tum qui pro tempore fuerint, Generalis Minister de illorum consilio, et assensu causarum Auditores designat, qui auditis, et visis negotiis, et causis, quae ad Capitulum deferuntur, eorum summam, et quidquid judicandum censuerint, ad eamdem congregationem referant. Tum cetera pro rerum, ac temporis ratione disponuntur.

Ex eisdem. 662 Ad eamdem congregationem Vocales omnes sigillatim vocari debent. Ministri, et Custodes regiminis suae quisque Provinciae aut Custodiae sigillum; Custodes, qui Provincialium loco advenerint, scriptum officii sui testimonium ostendunt: ut hoc modo quisque se legitimum Vocalem probet, probatusque ad suffragandum admittatur. Item dant singuli relationem status suae Provinciae, aut Custodiae, cum ceteris scripturis in Capitulo producendis.

Ex eisdem. Pius V. *Pastoralis.* Gregor XIII. *Consuevit.* 663 Antequam ad electionem procedatur, ad Constitutionis Apostolicae praescriptum, Ministri, et Commissarii Generalis, et Officialium Curiae fieri debet syndicatio. Congregatis itaque, ut supra, Patribus, Superiores, et Officiales praedicti, ut plena cum libertate syndicari possint, abeunt e congressu, et antiquior Ordinis Discretus syndicationi praeest. Scripturae hujus rei causa e provinciis acceptae diligenter expenduntur. Si quid grave adversus eos emergat legitime probatum, aut vehementibus notatum indiciis, vocantur seorsum, ac sigillatim audiuntur: auditisque, negotium terminatur prout justitia suaserit, ita tamen, ut neque priventur officio, neque suspendantur; nec vero, donec officium posuerint, gravis aliqua poenitentia eisdem imponatur. Finita syndicatione, in Definitorium redeunt; eodemque Generali Ministro praeside acta continuantur.

Salm. et Vallis. Sup. 664 Feria quinta ante festum Pentecostes, post solemnem Missam de Spiritu Sancto, ad Capitulares ordine sedentes, per Oratorem Generalis Ministri arbitrio delectum de rebus capitulari loco, ac tempore tractandis, ac praesertim Ministri Generalis, aliorumque Officialium electione habendus sermo. Deinde fit processio ad ecclesiam, et Sanctissimum Christi Corpus exponitur, quadraginta horarum oratione, quousque electio fiat, sine intermissione die noctuque colendum.

Ex eisdem. 665 Feria sexta quiescunt omnes, invicem conferunt, communicant, consulant, omni quidem subornationum genere prorsus excluso.

Ultram. Sup. 666 Dum Capitulum durabit, singulis, aut plerisque diebus habendae inter Missarum solemnia conciones, et pomeridiano tempore dissertationes literariae, eo ordine, quem Generalis, qui absolvendus est, praescripserit.

667 Vocales, ceterique Sacerdotes, qui ad Capitulum convenerint, eo durante, diebus singulis sacrum facient pro Capituli Patronis: tertia vero post festum Pentecostes, sive alia opportune assignanda die pro eisdem canetur ad vesperam defunctorum nocturnum, et in crastino fient solemnes exequiae, cum Missa in cantu, concione, et responsorio. Rom. 1625. Urb. VIII.

REGULA.

Electio successoris fiat a Ministris Provincialibus, et Custodibus in Capitulo Pentecostes.

§. XII.

De electione Generalis Ministri.

668 Quia Seraphica Religio nostra duabus amplissimis Familiis, Ultramontana videlicet, et Cismontana coalescit, ad unionem, et pacem in ea perpetuo servandam, ex apostolicae costitutionis decreto, Generalis Minister ex altera, et altera Familia alternis vicibus semper est eligendus. Bulla unionis. Vallis. 1593.

669 Hujus itaque electionis causa, praemissis, quae modo notata sunt, Sabbato vigiliae Pentecostes, Capitularibus omnibus rei divinae participatione praeparatis, post solemnem Missam de Spiritu Sancto, Generalis Ministri jussu ad capitularis campanae signum, in aulam electionis conveniunt Vocales omnes: et clausis ostiis, ut nemini, nisi urgente necessitate, exire liceat, singulis ordine appellatis, et respondentibus, eorum praesentia exploratur. Salm. c. 8. Vallis. Sup.

670 Succedunt ordine, Praesidis de bona electione sermo gravis, et efficax; Capitularium post generalem confessionem absolutio; invocatio Divini Spiritus per cantum hymni *Veni Creator*, cum solitis precibus; institutio Disquisitorum praescripta §. de electione per schedulas. Ex eisdem.

671 Tum Generalis Minister, et Commissarius genibus flexis cum humili sui accusatione officiis renuntiant: quibus Praeses, vel antiquior Ordinis Discretus pro eorum dignitate graviter, ac modeste respondens, pro meritis, aut demeritis gratias agit, aut poenas imponit. Ex eisdem.

672 Sequitur collectio, et scrutatio schedularum, servatis, quae nuper dicto loco notata sunt. Ex eisdem.

673 Perfecta, publiceque pronuntiata electione, Generalis Minister, antequam officium ullo modo exerceat, coram toto Capitulo votum emittit de non ambienda, procuranda, vel acceptanda dignitate Episcopali, Archiepiscopali, vel Patriarchali toto tempore sui ministeriatus; nec ante id votum censeatur in officio confirmatus. Quod si in eodem voto dispensari, vel aliter quomodolibet fieri contingat, Minister Generalis aliquam ex dictis dignitatibus vel praesentationem, aut nominationem ad illam acceptans, statim ac de acceptatione constiterit, non erit amplius pro Religionis Praelato habendus, et Fratres ab ejus obedientia exempti erunt, imo sub excommunicationis poena obedire illi Rom. 1676. Innocent. XI. *Militantis.*

non poterunt. Quo quidem casu Ordinis Pater, qui servata statutorum serie, et Familiarum concordato dignior habebitur, eo Generali excluso, ad constitutionum praescriptum Electores convocabit pro Vicarii Generalis electione, in qua Generalis ille Minister nec vocem, nec aliam quamcumque actionem habere poterit, revocata quacumque in contrarium Ordinis constitutione, et sublata omnino Electoribus facultate aliter operandi, aut permittendi, sub poena nullitatis facti. Hoc ipsum
Rom. 1700. statuitur de Vicario Generali totius Ordinis: et cum omnibus suis clausulis et annexis, et connexis extenditur ad Commissarium, et Vicecommissarium Generalem Familiae.

Trid. Vallis. Sup. 674 Eo voto emisso, Cantores hymnum *Te Deum* praecinunt, omnesque alternis vocibus canentes ad ecclesiam procedunt; ubi gratiarum actione de more persoluta, Generalis Minister loco decenter antea parato sedet; eique Capitulares primum, deinde reliqui debitam reverentiam, et obedientiam praestant.

Vallis Sup. 675 Haec ipsa in aliis etiam electionibus in Generali Congregatione, et Provinciali Capitulo respective faciendis debita proportione servari decernimus.

Clem. IV. *Virtute conspicuos.* Salm. Sup. 676 Tum vero Generalis Minister eo ipso censeatur auctoritate apostolica confirmatus, et pro confirmato habeatur; ac propterea officium suum libere exercere sine ulteriori confirmatione possit.

R e g u l a.

Et si aliquo tempore appareret universitati Ministrorum Provincialium, et Custodum, praedictum Ministrum non esse sufficientem ad servitium, et communem utilitatem Fratrum, teneantur praedicti Fratres, quibus electio data est, in nomine Domini alium sibi eligere in Custodem.

§. XIII.

De aliis Generalis Capituli electionibus.

Vallis. 1593. 677 Electo Generali Ministro, alias electiones, ut pro temporis ratione opportunius Praesidi videbitur, liberum sit aut mox prosequi; aut in alteram diem, vel ejusdem diei horam differre. Cum autem apo-
Bulla unionis. Salm. c. 8. Vallis. Sup. stolica constitutione prudenter provisum sit, ut assumpto ex una Familia Generali Ministro, ne Ordo ob amplitudinem suam debito pastoralis regiminis careat beneficio, alteri Familiae Commissarius Generalis praeficiatur, hic ipse primo loco eligi debet, talis profecto, qui aetate, sapientia, rerum usu, vitaeque innocentia, et gravitate tanto muneri, et oneri respondere possit.

Ex eisdem. 678 Eligitur autem suffragantibus Generali Ministro nuper electo, Patribus, qui Ministri, aut Vicarii Generales fuerunt, caeterisque Vo-
Innocent. XI. *Inter gravissimas.* calibus Familiae, cui praeficiendus est; et (quoad Familiam nostram)

servata inter Observantes, et Reformatos alternativa, pontificia auctoritate praescripta. Suffragia scrutantur tres illi Disquisitores, qui de eadem Familia fecerunt in electione Generalis Ministri. Electus non ambiendi votum, de quo supra, emittit.

679 Sequitur electio Officialium Generalium Romanae Curiae. Procurator Generalis assumitur ex Familia, unde assumptus est Minister Generalis; ex altera Commissarius Generalis Curiae: ambo per vota secreta, et ballottationes, proponente Generali Ministro, et suffragantibus Vocalibus Provinciarum Observantium illius Familiae, ad quam pertinet Officialis eligendus. Simili forma fit electio Procuratoris Generalis Reformatorum, suffragium pro ea ferentibus Vocalibus Reformatis. Procurator Generalis Discalceatorum, et Recollectorum ab eorum Vocalibus, nemine proponente, per schedulas eligitur.

Salm. Vallis. Sup. Innocent. XI. *Sacrosancti.* Innocentii XII. *Cum nos nuper.* Clem. XI *Alias ad supplicationem.*

680 Eligendi quoque Definitores Generales numero viginti, hoc est Ultramontani decem; ac totidem Cismontani; utraque Familia per suos Vocales, seorsim quidem, eodem tamen loco ac tempore, Definitores suos secretis schedularum suffragiis eligente. Denarii autem numeri in Cismontanis partibus haec erit distributio. Ex natione Ultramarina unus eligitur: ex Sicula tres: ex Lombardica quatuor: ex hac ipsa, et Ultramarina per alternas vices unus: unusque item Capituli pro tempore suffragiis distribuitur. Rursus de Observantibus sex eliguntur; quatuor de Reformatis.

Vallis. 1670. Clement. X. *Sacrosancti.* Salm. c. 8. Vallis. 1593. Ex eisdem. Clem. X. Sup. Vallis. 1670. Clem. et Vallis. Sup.

681 Definitores Generales in uno capitulo electi, in sequente reeligi non possint. Item: ex ea provincia, quae unum Definitorem habuit, eo vivente, alter assumi nequeat; dummodo electionis libertati, et personarum meritis locus sit; ac provinciae Romanae Observantium praecipua ratio justis de causis semper habeatur.

Salm. c. 8. Vallis. 1593.

§. XIV.

De agendis in Capitulo post electiones.

682 Electionibus rite celebratis, singulis diebus statutis horis duo Definitoria Cismontanum, et Ultramontanum, utrumque pro rebus ad suam Familiam pertinentibus, congregari debent: et ambo ad eorum tractationem, quae ad universum Ordinem pertinent, Generalis Ministri jussu, dum opus erit, in unum convenient. Utrique praesidet Generalis Minister; cujus loco proximus ejus decessor praesidet Definitorio Familiae suae. Vocari ad ea respective debent Patres totius Ordinis, et Familiae, novi Officiales Generalis Curiae, quique proxime officio functi sunt, et Definitores Generales nuper electi.

Salm. c. 8. Vallis. 1593. Vallis. Sup.

683 Ministro Generali inconsulto nihil in Definitorio tractari, aut definiri liceat. Quae vero in eisdem constituta, aut definita fuerint, obligandi vim nullam habeant, nisi Generalis Ministri auctoritate antea probentur. In omnibus autem definitionibus, et determinationibus sententia plurium omnino praevaleat: et in paritate Praeses voto decisivo uti possit.

Ex eisdem. Ex Decret. V. Cong. 13. Mart. 1653.

Vallis. Sup. Ultram. c. 8. 684 Primum autem Discretoria duo, pro Ultramontanis unum, alternum pro Cismontanis, aut etiam plura instituantur; quorum cuilibet praefici debet vir gravis, et pius, a Generali de Patrum consilio designandus.

Ex eisdem. 685 Ad ea Capitulares statutis horis convenient. Praeses de regula, et constitutionibus Ordinis, an, et quomodo serventur, diligenter quaeret, proponens, dum occasio fuerit, quae ad instaurandam, retinendamque regularis vitae disciplinam, ad augendam pietatem, ad totius Ordinis, et cujusque provinciae bonum utiliora videbuntur, liberum erit singulis admonere, quae visa fuerint admonitione digna. Patres autem in benedictionis loco consedentes, in sententiis dicendis cavebunt omnino a clamoribus, et vanis, aut obstinatis contentionibus; sed quidquid dicent, sic mitissima prolatione temperabunt, ut nec audientes offendi possint, nec recti judicii acies perturbato animo inflectatur. Quae autem communi consilio, et consensu necessaria, vel quomodolibet opportuna visa fuerint, Peaesides ad Definitorium referent; cujus auctoritate approbanda, vel reprobanda erunt, vel alia etiam constituenda, prout Patres pro locorum, et temporum varietate expedire in Domino cognoverint.

Ex eisdem. 686 De iis, quae ad Capitulum missa fuerint, in Definitoriis habenda consultatio: omnibusque, sive contra Praelatos, sive contra subditos sint, prudenter consideratis, per Generalem, et Patres opportune providendum. Iidem accurate discutiant delata per causarum Auditores, et definiant prout justitia suaserit. Denique corrigant, consulant, decernant quaecumque ad continendum in officio, tollendos abusus, statuendam disciplinam necessaria, vel opportuna judicaverint.

Ultram. Sup. 687 Nulla tamen statuta vim legis obtinentia Definitorium condere valeat sine consensu majoris partis Capituli, neque Capitulum valeat aliquid definire sine approbatione majoris partis Definitorii.

Clem. XII. *Cum sicut.* Bened. XIV. *Exponi nobis.* 688 Providendum etiam de Officialibus Curiae in casu vacantiae. Quare Generalis Minister ex eisdem, atque omnibus provinciis, ex quibus modernus quisque Officialis assumptus fuit, vel assumi potuit, sex debitis qualitatibus praeditos viros Definitorio Generali proponet: ex quibus ab eorum, quorum respective interest, Definitorio tres erunt seligendi: officiique eveniente vacatione, unum de tribus, quem maluerit, destinare tenebitur.

Tolet. 1682. 689 Facienda promotio Guardiani Hierusalem de consilio, et assensu Definitorii Generalis, quemadmodum ab immemorabili usu receptum est.

Vallis. 1593. Salm. Vallis. Sup. 690 Agendum in Definitorio de studiis generalibus; et si qua aut institui, aut supprimi, aut loco moveri opus fuerit, opportune providendum. Designatur locus Capituli futuri. Defunctorum ab ultimo Capitulo Fratrum, et Monialium numerus recensetur.

Vallis. Sup. 691 Ex veteri, ac probata Religionis consuetudine, ac pietate commendantur suffragia pro Sanctissimo Romano Pontifice, pro Imperatore,
Rom. 1612. 1625. pro Regibus, et Principibus Orthodoxis, pro Eminentissimo Ordinis Pro-

tectore, pro Patronis Comitiorum generalium, et pro omnibus benefactoribus nostris.

692 Conficitur diligenter, et accurate Capituli Tabula, electiones, decreta, et praemissorum omnium seriem continens: subscribunt Definitorii Patres: subscripta majori Ordinis sigillo munitur: ejusque exemplar subinde a Generali Ministro ad singulas provincias opportune mittendum erit. Ex eisdem.

693 Tum Capitularibus universis concruo loco, et tempore in unum congregatis, eadem tabula clara, et intelligibili voce de suggestu legitur. Quo facto, canticum *Benedictus* pie canentes, ad ecclesiam procedunt, ac pro felici rerum exitu gratias agunt. Ex eisdem.

694 Generalis Minister gravibus verbis hortatur omnes, ut conjunctis animis, concordique voluntate, quae in superioribus Capitulis, atque in hoc ipso constituta sunt, solicite exequantur; quo fiat, ut universa Religio, salutaribus institutis Dei gratia in usum inductis, in omnes bene, pieque agendi partes aeque conformetur, et sancte conformata perpetuo conservetur. Tum omnibus coram genuflexis solemni more benedicit, et discedendi veniam cum benedictione facit. Ex eisdem.

695 Surgentes, ad eumdem Generalem Ministrum ordine accedunt, et ab eo sanctae pacis osculum reverenter accipiunt, ac sibi invicem Christiano, ac Religioso more dant, et recipiunt. Ex eisdem.

696 Similis ordo, et solemnitas etiam in Congregatione Generali, et Provincialibus Capitulis debita proportione servanda erit. Ex eisdem.

697 Ut acta originalia capitulorum securius custodiri possint, in prima sessione Definitorii Generalis, de ejusdem corpore unus designetur, cui tradi debent acta omnia usque ad electionem novi Definitorii facienda: quo electo, de corpore ejusdem destinetur alius, cui tradenda sunt acta omnia ante facta, servanda cum ceteris, quae deinde fient, usque ad terminum capituli. Quo dissoluto, Definitorii Pater nuper ad id destinatus omnia tradere debeat Archivario generali Familiae, in qua fit capitulum; Archivarius vero ea reponet in suo archivio, et authentica transumpta ad alterius Familiae archivium quam citius mittet. Consignationes autem actorum, et scripturarum fieri debent coram aliis duobus Patribus Definitorii Generalis; et consignans a consignatario absolutoriam recipere debeat, ab eo, ac testibus subscriptam: atque ita fieri jubetur sub gravibus poenis in illos, qui contra fecerint, Superiorum arbitrio infligendis. Vallis. 1740.

§. XV.

De Congregatione Generali.

698 Congregatio Generalis, quae intermedia dicitur, triennio post generale Capitulum pro electione alterius Commissarii Generalis Familiae, ex qua Commissarius Generalis in Capitulo assumptus fuit, omnino celebrari debet; non ut olim per omnes Familiae Vocales, sed uni- Bulla Unionis. Salm. c. 8. Rom. 1676. Innoc. XI. *Militantis.*

*

ce per Patres, qui sunt de corpore Definitorii Generalis ejusdem Familiae.

Salm. Sup. Vallis. 1593. 699 Itaque ad finem triennii Minister, aut Vicarius Generalis totius Ordinis eosdem Patres opportune convocabit, et per se, vel, ipso legitime impedito, per suum Commissarium ad hoc specialiter delegatum Congregationi praesidebit: atque omnia fient eo ferme modo, et ordine, qui pro Capitulo generali constitutus est.

Rom. 1691. 700 Dato autem casu absentiae Generalis Ministri; atque etiam Commissarii ab eo ad praesidendum specialiter destinati, cum electio ultra vigiliam Pentecostes differri nequeat, et Familia non sit in mora; Commissarius Generalis, vel, eo etiam absente, quivis alius Discretus Ordinis, aut Familiae dignior inter praesentes, electioni praesideat, et, ut Praeses a jure, canonice electum confirmet: prout fieret in electione Commissarii Generalis, qui unquam in capitulo generali absente Generali Ministro eligeretur.

Rom. 1688. 701 Si vero contigerit, aliquem ex Definitoribus Generalibus impediri, ne accedere ad Congregationem possit, vocetur a Superiore Generali Pater dignior nationis, unde ille est, ut ejus loco substituatur, vel subrogetur juxta praescriptum statutorum generalium. Quod si notitia impedimenti pervenerit in tanta temporis angustia, ut ipse dignior haberi nequeat, vocetur alter dignior Ordinis Pater, qui per id temporis spatium haberi possit, dummodo vere sit dignior vel officio, vel antiquitate electionis, vel, ceteris paribus, antiquitate habitus, non solum comparative ad unam nationem, sed etiam ad aliam, et inter alias duas. Quod si nullus Pater Ordinis intra illud tempus haberi possit, substituatur Secretarius Ministri Generalis pro Familia Cismontana, si praesens fuerit, servata respectivitate ad Definitorem absentem, quatenus si de Observantia fuerit, substitui debeat Secretarius Generalis Observantium; si de Reformatione, succedat Secretarius Reformatorum. Absente vero Ministri Generalis Secretario, substituatur Secretarius Commissarii Generalis de Observantia, vel de Reformatione respective, ut supra. Idem respectus servari debeat in vocatione Patris Ordinis, ita ut neque de Reformatione vocetur quis pro Observantia, neque de Observantia pro Reformatis. Et si adhuc necessitas substitutionis fuerit, fiat in persona dignioris Patris illius provinciae, in qua Congregatio celebratur. Peracta vero Congregatione, si Definitor Generalis, pro quo facta est substitutio, obiisset, vel quomodocumque vacasset, subrogetur dignior de illius natione, prout de jure. Ad tollendas autem omnes difficultates, quae in temporis angustia oriri possunt, Superior Generalis, habita notitia impedimenti Definitoris Generalis, sine mora convocet Patres Ordinis actuales, qui in loco fuerint, et cum eis deliberet, quis ejus vice ad tenorem statuti vocandus sit.

Salm. Vallis. Sup. Rom. 1676. 702 Praemissis praemittendis, servatisque servandis, in vigilia Pentecostes per supradictos Patres, nullo proponente, per schedulas secretas fiet electio novi Commissari Generalis usque ad proximum Generale Capitulum duraturi.

703 Ceterum in hac Congregatione lites per sententias dirimi, dubiarum constitutionum declarationes fieri, decreta per subsequens triennium duratura edi valeant: leges autem, sive constitutiones perpetuo duraturae condi nequeant, nec antiquae abrogari. Rom. Sup.

§. XVI.

De Consultatione Generali.

704 Ut graviora Familiae negotia, quae in Romana Curia tractanda occurrunt, maturius agi, et absolvi possint, opportunum, atque etiam necessarium visum est, Consultationem generalem institui pro eorum discussione, semel in mense, vel quoties opus fuerit, die, hora, et loco a Praelato Generali statuendis cogendam, et congregandam. Victor. 1694. Rom. 1732.

705 Componetur autem ex Praelato Generali, Discretis perpetuis Ordinis, et Familiae, si qui fuerint, ejusdemque Familiae Officialibus Curiae, et Definitoribus Generalibus, quos praesentes in Curia quomodolibet esse contigerit. Ex eisdem.

§. XVII.

De Capitulo Provinciali.

706 Provincialia Capitula pluribus de causis, praecipue tamen pro Ministrorum, aliorumque Officialium electionibus celebranda, a Pascha Resurrectionis Domini usque ad sanctam Pentecostem fieri decernimus, ubi forte Praelatus Generalis eisdem interesse volens, in aliud tempus differenda censuerit; aut nisi justam ob causam idipsum fieri oportuerit. Vallis. 1593.

707 Cum itaque Ministri Provincialis officium triennale sit, de triennio in triennium Provinciale Capitulum celebrari debet. Hinc Provincialis Minister de expletione sui officii congruo tempore Praelatum Generalem praemonere teneatur, ut de provinciae visitatione commodius deliberare possit. Licet autem Praelato Generali, si expedire videatur, Capitulum ad sex menses ultra triennium differre, et per sex menses etiam vivente Ministro justa de causa anticipare. Clem. V. Exivi Bulla Unionis. Ultram. c. 7. Rom. 1612.

708 Mortuo Provinciali Ministro, pro arbitrio Superioris Generalis Capitulum anticipari poterit, dummodo biennium finitum sit ab ejus facta celebratione numerandum, vel prorogari, dummodo tempus a lege praescriptum non excedatur. Rom. 1664.

709 Nullum celebrari possit Provinciale Capitulum, maxime vero ubi novus Minister Provincialis eligendus est, nisi aut Generalis ipse, aut ejus nomine, et auctoritate ab eo destinatus Praeses eidem intersit, et praesideat. Salm. c. 8.

710 Superiori Generali, atque etiam Commissariis ab eo ad capitula delegatis liberum sit loca deligere, in quibus ea celebrentur: verumtamen, ut communi utilitati semper prospectum sit, de aliquorum probatissimorum Patrum consilio id ipsum deliberent. Neap. c. 38.

Vallis. Sup. 711 Praesidis erit opportuno tempore Capitulum indicere, missis ad singula provinciae loca indictionis literis; quibus ea etiam praescribet, quae pro sua pietate, et prudentia praescribenda viderit.

Ex eisdem. 712 Haec vero specialiter exprimenda sunt. Quo tempore, et loco Capitulum erit. Quod Superiores locorum indictionis literas cum primum acceperint, Fratribus capitulariter congregatis legi faciant, scriptoque propria manu in eisdem testimonio, quo illas tempore acceperint, et quo transmiserint, de loco in locum per nuncios fideles mittant. Quod iidem totius administrationis rationem accurate conscriptam Fratribus, ut supra, congregatis exacte reddant, et Syndici Apostolici primo, tum singulorum Fratrum propria manu obsignatam ad Capitulum deferri curent: additis rerum omnium mobilium a Discretis localibus subscriptis inventariis; in quibus si quae bonorum accessio, aut fabricae instauratio facta sit, expresse constet: quod ad tramitem constitutionis Innocentianae de missarum oneribus, et implemento juratam attestationem in Capitulo exhibere omnino debeant: quodque antiquiori locali Discreto, qui (si Vicarius defuerit) interea loci curam habebit, inventariorum originalia, loci sigillum, regulam, et provinciae statuta, necnon bibliothecae inventarium coram Discretis localibus praebeant futuro Superiori opportuno tempore tradenda. Quod qui quovis jure, vel consuetudine Capitulo interesse debent, stata in indictionis literis expressa die, quae triduo, aut saltem biduo electionis diem praecedat, ut capitularia negotia consultius tractari possint, in capitulari loco praesentes sint; ceteri vero omnes ad Capitulum accessum, et de locorum finibus egressum, sub apostasiae poena ipso facto incurrenda, sibi vetitum sciant. Quod ad Capitulum euntes, et inde reduentes religiose, graviterque incedant, ac pedestres faciant, nisi, necessitate coacti, scriptam equitandi facultatem impetraverint. Quod orationes, supplicationes, et alia ad praescriptum constitutionum pro felici capitularium rerum eventu peragenda fiant.

Innocent. XI. Nuper Sup.

Vallis. Sup. 713 Quae de precibus, sacrificiis, et aliis ante generale Capitulum, et in eo ante, et inter electiones servandis decreta sunt, ea ipsa ante Capitulum Provinciale, et ante, interque electiones aequa proportione servari debeant.

Ex eisdem. 714 Qui Vocales, legitimo cessante impedimento in Capitulo ipso Definitorii Patribus probando, non accesserint, omni suffragiorum jure triennio careant. Neque propterea Capitulum aut suspendatur, aut differatur, sed stata die Praesidis arbitrio celebrari debeat.

Salm. c. 8. Vallis. Sup. Rom. 1625. 1664. 715 Guardiani, et Monialium Confessarii aut per se praesentes, aut absentes scripto officiis suis renuntient: quod si non fecerint, fecisse tamen censeantur, deque ipsorum officiis Definitorium disponet, prout publicae utilitati magis videbitur expedire. Idem servandum in Congregatione, de qua §. sequente.

Ex Vallis. Sup. 716 Deligantur per Definitorii Patres idonei viri, qui inventaria, ceterasque scripturas a Superioribus locorum missas diligenter cognoscant, cognitisque ad Definitorium referant.

717 Quod ad Provincialis Ministri, qui officio absolvendus est, syndicationem attinet; si ex visitatione provinciae culpae graves contra eum emerserint, in scriptis illi revelentur, eidemque audientia praebeatur: accusationes, et excusationes a Praeside, et Definitorii Patribus discutiantur: et quod majori parti visum fuerit, circa ejus correctionem, vel liberationem fiet. Pius V. *Pastoralis.* Greg XIII. *Consuevit.* Ultram. c. 8.

718 Praemissis praemittendis, eliguntur Minister, Custos, Definitores, et Guardiani: hi quidem a Definitorio per globulos, ceteri a toto Capitulo per schedulas modo, et ritu alibi descripto. Ex § 6 et 7.

719 In electionibus habeatur ratio justitiae distributivae: ac Praesides curare debeant, ut assumantur digniores; excludantur vero, si qui fuerint, capita partium, et dissensionum, vel odio, inimicitiis, aut amore indebito notorie affecti. Rom. 603.

720 Cumque ex bona Praelatorum electione maxime pendeat Religionis salus, Guardianatus, ceteraque regiminis officia omnino distribuantur, prout (supposita corporis valetudine) ratio meritorom cujuscumque promovendi, ac bonum provinciae exegerit, nullo habito respectu ad Patres quoscumque, qui officio functi sunt, vel funguntur, sub poena Provinciali aliter proponenti suspensionis ab officio per semestre, Patribus autem sive de corpore Definitorii, sive extra illud, exigentibus Guardianatum, aut aliud officium suae satisfactionis, sub poena proprietariis praescripta; reposita in eamdem rem constitutione Urbana *Pro restituendo candore* communiter appellata. Rom. 1676. Innocent. XI. *Militantis.*

721 Atque ut majori circumspectione electiones Praelatorum fiant, praecipitur electoribus sub poena non suffragandi, ut antequam ad praedictas electiones procedant, praesente Praeside, coram venerabili Crucifixi imagine, sigillatim juramentum praestent, se eum electuros in quolibet praedictorum officiorum respective, quem in conscientia, et omnibus aequa lance libratis digniorem judicabunt. Ibidem.

722 Si non sequatur electio Ministri, ita ut ea ad Superiorem Generalem devolvatur, Pater antiquior, etiam inter Reformatos, juxta generalia statuta, habeat sigilla provinciae, eamque gubernet usque ad novam electionem; salva semper auctoritate Praesidis capituli, qui cum Vocalibus procedere possit ad electionem Custodis, et Definitorum. Rom. 1688.

723 Definitores quatuor semper eligendi sunt, nec vero plures eligi possunt: quod si plurium evenerit electio, quatuor tantum admittantur, ii scilicet, quibus plura vota suffragata fuerint. Salm. c. 8. Vallis. 1593.

724 Si Custodis, et Definitorum electio divisim fiat, Custos noviter electus, atque etiam confirmatus nullum habeat suffragium respectu Definitorum in eodem capitulo eligendorum: neque similiter Definitores, si aliquem, vel aliquos in uno scrutinio, et reliquos in alio quandoque eligi contingat. Rom. 1654.

725 Si intra dies capitulares, seu capitulo nondum soluto, ob mortem, vel renuntiationem eveniat vacatio Definitoris, vel Custodis nuper electi, alterius electio a toto Capitulo fiat: si autem vacatio contingat soluto capitulo, etsi prorogato Definitorio, Custos quidem per Defini- Vallis. 1670.

torium eligi debeat; loco autem Definitoris vacantis subrogatio fiat, prout de jure.

Vallis. 1593. §. 14. n. 3. 726 Electionibus rite factis, et confirmatis, Discretorium, si opus fuerit, instituatur; a quo, et in quo servari debeant, quae supra hac de re statuta sunt.

Vallis. Sup. 727 Definitorium diebus singulis opportuno tempore congregetur: in quo, si Preses absit, Provincialis Minister praesideat: sed ipso Praeside inconsulto nihil definiri possit; neque ad eorum observationem, quae definita, aut constituta fuerint, quisquam teneatur, nisi Praesidis auctoritate antea probentur.

Ex eisdem. 728 Vicarii, Confessores Monialium, Novitiorum Magistri, aliique Officiales, Superiore proponente, Patrum Definitorii communi consilio, et consensu instituantur, prout magis videbitur expedire: salva consuetudine Provinciarum, in quibus horum aliquos secreta globulorum suffragatione eligi solitum fuerit.

Clem. VIII. De ref. Neap. c. 20. Vallis. Sup. 729 Examinatores designentur tres, aut plures pro illorum examine, qui ad praedicationem, ad audiendas confessiones etiam Fratrum, et ad ordines quoscumque admittendi erunt.

Vallis. ibid. 730 Super negotiis tam ad universam provinciam, quam ad singula loca, et personas pertinentibus collatio fiet; eaque statuentur, quae pro Dei gloria, animarum salute, et regulari disciplina necessaria visa fuerint, vel opportuna. In definitionibus autem sententia plurium praevaleat, ut supra statutum est.

Ex eisdem. 731 Demum capitularis tabella Praesidis, aut Provincialis Ministri jussu confecta, in qua Officiales quicumque descripti sint, capitularibus capitulariter congregatis de suggestu legatur, una cum decretis eo tempore conditis; et cetera fiant, quae pro absolutione generalis Capituli praenotata sunt.

Valent. 1768. 732 Si convocato Capitulo eveniret unquam ob mortem, sive aliam quamcumque causam Praesidem deficere, praesideat Exminister, vel Excommissarius Generalis, si praesens sit: secus praesideat Provincialis Minister usque ad novi Ministri electionem: qua facta, Minister recens electus id muneris obtineat.

§. XVIII.

De capitulari Congregatione.

Rom. 1587. Vallis. 1593. 733 Abrogato Capitulo provinciali intermedio, quod alias in more positum fuit, quolibet triennio capitularis Congregatio bis, aut semel saltem celebretur, prout Patrum judicio, pro diversitate locorum, et temporum, publico provinciarum bono magis videbitur expedire.

Ultram. c. 8. Vallis. Sup. 734 Ante Congregationem ipsam Provincialis totam provinciam visitare debet, ut de omnibus, quae scitu, et correctione digna invenerit, cum Definitorio deliberet. Debet etiam Superiorem Generalem praemonere, ut, si quid ei pro bono provinciae statuendum, et ordinandum fuerit, statuere, et ordinare possit.

735 Prohibentur vero Praelati Generales quemquam ad provincias mittere, ut earum intermediis congregationibus praesit, nisi causa valde notoria, et urgens, vel nisi major pars Provincialis Definitorii mitti postulet: secus Provinciales, et alii ad quos pertinet, uti jure suo in hac parte permittantur. Rom. 1639.

736 Si Generalis Minister e Familia, ex qua assumptus fuit, discedat, nemine relicto, cui vices suas commiserit, ad quem veluti ejus commissarium a provinciis recurratur; Provincialibus cum suis Definitoriis ad intermedias Congregationes celebrandas eo casu devenire liceat. Capitulum tamen Provinciale nullatenus celebrabunt. Rom. Sup.

737 Vocandi ad eam quotquot sunt de corpore Definitorii, nisi quis eorum longe nimis extra provinciam existat: et convenire debent, nisi sint legitime impediti: quibus casibus fiet, quod §. de Definitore, et Definitorio Provinciali faciendum esse dicitur. Vallis. Sup.

738 Eliguntur Guardiani omnes, prout in Capitulo, cum plena facultate eos non continuandi, sed, prioribus amotis, alios instituendi etiam nulla interveniente causa. Rom. 1625.

739 Constitutiones tamen, quae vim legis habeant, in hac ipsa Congregatione condi non possunt. Ultram. c. 8.

740. Quae vero de indictione, precibus, attestationibus, aliisque praeparationibus ante Capitulum; quaeque in illo ante, et post electiones servanda esse decretum est, ea similiter in hac ipsa Congregatione servari decernimus. Vallis. Sup.

§. XIX.

De Capitulo locali.

741 Locale, sive Conventuale Capitulum, pro rerum, ac temporum ratione, Superioris jussu convocari solet, aut debet. Ad quod aliquando Discreti locales tantum, alias vero universus conventus, sive omnes de familia vocandi sunt; prout vel lege cautum est, vel rerum, quae obveniant, habita ratione, Superiori videatur. Vallis. 1593.

§. XX.

De Ministro Generali.

742 Generalis Minister esse debet aetate gravis, integritate vitae ac doctrinae praestantia insignis, prudentia, consilio, rerumque agendarum usu tanto oneri, ac muneri vel maxime idoneus, et qui communem cum aliis, quantum per officii occupationes licuerit, vitam ducere possit, ut verbo, et exemplo, quibus praeest, proficiat, et ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam. Vallis. Sup. Pius V. Pastoralis.

743 Ejus ordinaria potestas in Ordine summa est, a qua nemo eximitur, cui omnes, uti S. P. N. Francisci vero, ac legitimo successori ex regulae praescripto obedire tenentur. Tolet. 1633. Rom. 1688.

Vallis. Sup. Gregor. XIII. *Quoniam. nostro.*

744 Ad eum ab inferioribus quibuscumque in quibusvis causis, servato, quem alibi dedimus, appellandi ordine, appellare, et recursum habere licet.

Bulla unionis. Salm. c. 8. Vallis. Sup.

745 Si e Familia, ex qua assumptus est, ad alias partes se transferre voluerit, potest de consilio aliquorum Patrum Commissarium instituere, et pro tempore absentiae eidem Familiae cum plenaria facultate praeficere.

Tolet. 1583. Rom. 1587.

746 A Generali Ministro de assensu, et beneplacito Regis Catholici instituitur Commissarius Generalis Indiarum residens in Curia ejusdem Regis.

Rom. 1639. Vallis. 1593. Tolet. 1645.

747 Ad eumdem pertinet instituere Commissarium Generalem Nationis Germano-Belgiceae; aliosque similiter Nationales Commissarios, quos pro temporum conditione publici boni causa institui oporteat.

Salm. c. 8. Neap. c. 5. Vallis. Sup.

748 Ad eum similiter spectat institutio Guardiani Hierusalem de consilio, et consensu Discretorum Ordinis Cismontanae Familiae: extra Capitulum vero, vel Congregationem generalem, si locum vacare contigerit, substituere potest, quem idoneum, et habilem de aliquorum consilio censuerit.

Bulla Unionis. Salm. et Vallis. Sup.

749 Item ad eum pertinet Congregationem generalem intermediam indicere, et in illa per se, vel per alium electioni Commissarii Generalis Familiae, ceterisque ad illam spectantibus actionibus praesidere.

Rom. 1654.

750 Ad tractanda Religionis negotia habere potest in Curiis Regiis, et Principum Agentes, seu Commissarios cum socio grato sibi immediate subjectos: ea tamen lege, ut e conventu exeuntes, a Praelato locali, qui eos impedire non possit, benedictionem petant, et, ceteris paribus, post Definitores habituales locum habeant.

Aquil. 1559. Vallis. Sup. Gregor. XIII. *Quoniam.*

751 Ordinem universum officii sui tempore per se, vel, si legitime impeditus ipse fuerit, per suos Commissarios visitare debet.

Ex Salm. Vallis. Sup. Ex Pio V. *Pastoralis.* Benedict. XIV. *Exponi nobis.* Vallis. Sup.

752 Prae negotiorum multitudine, et gravitate, ubicumque commoretur, Secretarios generales habeat arbitrio suo delectos, numero quatuor, nempe duos Cismontanos, de Observantibus unum, alterum de Reformatis; duosque Ultramontanos, unum de Observantibus, alterum ex Discalceatis, vel Recollectis. Confidimus autem, eum pro sua prudentia, et pietate ad id munus viros selecturum prudentes, probos, pios, fideles, sedulos, et regularis disciplinae studiosos, cum per eos omnia Ordinis negotia expedienda sint. Duos praeterea socios, e quibus alterum laicum, moribus, et vita probatos, et ad domestica servitia idoneos habere possit.

Ex eisdem.

753 Hoc honesto comitatu, dum iter faciet, contentus sit, nec alios se comitari permittet, praeter Ministrum in ingressu cujusque provinciae. Provinciales, et Guardiani de conventu in conventum, et de provincia in provinciam deducant; eique, et sociis de necessariis provideri diligenter curent. Quos vero ad eum negotiorum causa accedere contigerit, aut praemittat, aut sequi jubeat, ne monasteriis gravamini, vel populo offendiculo sit. Ubi vero provinciae Observantium, et Reformatorum promiscuae sunt, uterque Minister se illi comitem adjun-

Rom. 1691.

gat, et ab utraque provincia necessaria praebeantur. Idem fiat in transitu Commissarii Generalis Familiae.

754 In quolibet conventu, prima vice mox ut eum appropinquare nuntiatum fuerit, omnes campanae geminatis ictibus pulsentur; ejusque receptio co agatur pio, ac solemni ritu, quem in caeremoniali Ordinis parte quarta, capite XVI descriptum habemus. Ex Salm. et Vallis. Sup.

755 Frugali mensa utatur, atque omnino et domi, et foris ita parce ac moderate in omnibus se gerat, ut sanctae paupertatis memor, tam loca relevare, quam Fratribus, et proximis victu, ac vestitu, modestiae, parsimoniae, ac totius sanctitatis exemplo esse curet. Vallis. Sup.

756 Paternam solicitudinem, quam pro sui muneris ratione Ordini universo debet, in co maxime collocet, ut lectissimi tantummodo Definitores cum in Generali, tum in Provincialibus capitulis eligantur, ct boni, atque omnino idonei Pastores singulis provinciis, et domibus praeficiantur: idque eo magis, quod ovium Christi, quae ex malo negligentium, suique officii immemorum Pastorum regimine peribunt, sanguinem supremus Judex de manibus ejus requiret. Ex eisdem.

757 Dispensare potest in statutis generalibus: sed haec ipsa potestas omnis, et quaelibet ei provenit a Capitulo Generali. Hinc quoties ab eodem Capitulo vel absolute prohibetur dispensatio, vel ad certas limitatur conditiones, si vel absolute dispenset, vel conditionibus non servatis; dispensatio est ipso facto nulla. Rom. 1639.

758 Ministeriatus generalis officium sexennale est, a Capitulo in Capitulum generale durans: sique gravissimas ob causas Capitulum unquam differendum sit, auctoritate apostolica provideri solet. Jul. II. *Religio. sancta.* Bulla unionis. Sixt. V. *Circumspectu.*

759 Officio functus, est Pater, Definitor, et Discretus perpetuus totius Ordinis, pro tali habendus ab utraque Familia, vocandus, si fieri commode possit, ad omnia negotia Ordinem universum concernentia, maxime vero ubi Generalis Minister in eadem Familia sit, in qua ipse commoratur. Fratres duos moribus, et vita probatos, ex quacumque provincia delectos, socios habere potest. Atque his, ceterisque praerogativis per constitutiones Ordinis eidem concessis gaudere debet, licet sexennium, biennium, vel aliud quodcumque limitatum officii sui tempus non expleverit. Salm. c. 8. Neap. c. 32. Vallis. 1593. Clement. X. *Exponi. nobis.* Rom. 1676.

§. XXI.

De Vicario Generali.

760 Vicarius Generalis Ordinis est, qui per electionem supplet tempus Ministri Generalis, qui vacavit. Superveniente enim quacumque ex causa vacatione officii Generalis Ministri, mox Vicarii Generalis facienda est electio. Rom. 1651.

761 Facienda vero in illa, et ex illa Familia, ex qua Minister Generalis assumptus fuit, ejusdemque Familiae suffragiis, virtute compromissi in generali Capitulo nemine dissentiente facti. Quoad modum electionis, utraque Familia servabit municipales constitutiones suas. Salm. c. 8. Aquil 1559. Vallis. 1593. Rom. 1639. 1651.

Ex eisdem. 762 In Familia nostra Electores sunt, qui fuerunt Ministri Generales, aut Commissarii Generales Familiae: Vicarii, et Vicecommissarii Generales, qui biennio gubernarunt: omnes Definitores Generales Familiae: Officiales omnes Generales Romanae Curiae: denique Definitores Ultramontanae Familiae, si in loco adesse contigerit; absentes enim nec vocandi, nec expectandi sunt. Atque hi dumtaxat sunt, et esse declarantur Electores Vicarii Generalis.

Rom. 1651. 763 Si quis Definitorum Generalium propter belli, pestis, aut similes causas vocari non possit, alius, qui subrogationis jure succedat, ejus loco vocari debet: quod si pro hoc ipso similis occurrat difficultas, non est alius vocandus. Item, si quis tempore praescripto interesse aut nequiverit, aut noluerit, non differatur electio, sed per eos, qui aderunt, celebretur. (Vallis. 1593.)

Rom. Sup. 764 Contingit autem Ministri Generalis officium vacare morte, renuntiatione, promotione. Rursum, mors ejus jam in sua, jam in altera Familia evenire potest.

Vallis. 1593. Rom. Sup. 765 Decedente Generali Ministro in Familia sua, Minister provinciae, in qua decesserit, cum eis, qui ex utraque Familia a secretis defuncti erant, registrum Ordinis, cum omnibus scripturis ad officium quomodolibet spectantibus diligenter recognoscet, et recognitum, ac minori sigillo provinciae, et conventus, ubi mors contigerit, bene communitum eis, qui ex eadem Familia a secretis erant, deferendum tradet. Quo facto, iidem Secretarii, simul cum Secretariis de altera Familia, ad digniorem Familiae Patrem, Definitorem, ac Discretum perpetuum, si qui fuerit, aut pro tempore existentem, cui competit Electores convocare, et electioni praesidere, statim properent, eique scripturas, ut supra, obsignatas, cum sigillis Ordinis fideliter praebeant.

Ex eisdem. 766 Dictus autem Pater iis acceptis, recognitisque, ac bene de omnibus instructus, ad eligendum opportuno loco, ac tempore totius Ordinis Vicarium Generalem, quos supra recensuimus, convocare debet.

Ex eisdem. 767 Qui ubi convenerint, servatis, quae supra de Missa, praeparatione, sermone, absolutione, ceterisque solemnitatibus in electione Generalis Ministri adhibendis decreta sunt, die ad electionem praescripta Vicarium eligant, qui tanto muneri sufficiat, ac digne respondere possit.

Rom. 1681. 768 Si vero Generalis Minister in altera Familia decedat, ejusdem Familiae Commissarius, vel Vicecommissarius Generalis assumptis sigillis, scripturis, et registro, mittat cum uno, vel duobus Secretariis defuncti ad digniorem Patrem, qui supra: statimque per triplices epistolas sigillo munitas, et authentico testimonio roboratas moneat eumdem Patrem, ut de vacatione certo constet, et fiant preces in Ordine.

Ibidem. 769 Dignior autem Familiae Generalis defuncti Pater, cognita per authenticas epistolas ejus morte, acceptisque sigillis, et registris, Electores convocet, et fiat electio, ut supra, secundum statuta Familiae. Quod si constiterit de morte, et sigilla non advenerint, expectet adhuc per quatuor integros menses. Si vero aliqua fraude, vel infortunio maris, aut belli dicto tempore Secretarii non comparuerint, et authentice

de morte constet, ultra expectare non debeat, sed procedat ad convocationem, et electionem; ut supra, cudendo prius sigillum Ordinis, ut cum debita solemnitate fiat electio.

770 Quod si Pater, qui debebat mittere Secretarios, sigilla, et epistolas monitorias de obitu Ministri, omissione aliqua haec exequi distulerit, punietur graviter arbitrio Vicarii Generalis futuri. Si autem fraude Secretariorum retardetur nuntius, et adventus sigillorum, actibus legitimis septennio careant. Ibidm.

771 Ubi vero de obitu Generalis Ministri nuntiatum fuerit, continuo Ministri Provinciales orationes, supplicationesque pro bona electione indicant, et ubique fieri curent. Vallis. Sup.

772 Si autem Minister Generalis invaletudinis, vel grandioris aetatis causa, sive etiam humilitatis studio extra capitulum renuntiare voluerit, non est, cur prohibeamus tam arduum humilitatis documentum in Seraphico Patre, et in aliis Generalibus Ministris toties exemplo commendatum. Quo casu cum Capitulum Generale aegre convocari possit, ejusdem Capituli per uniforme compromissum delegata auctoritate Patres, qui jure sunt Electores Vicarii Generalis, Capituli generalis nomine causas renuntiationis examinent, et, si majori parti legitimae videantur, illam admittere, et acceptare possint. Rom. Sup.

773 Itaque Generalis Minister renuntiare volens, Patres per statuta Vicarii Generalis electores convocet, qui ponderabunt causas renuntiationis; et si majori parti visae fuerint utiles, et proficuae religioni, dignior Pater ex congressu, coram aliis, et testibus, admittet, et acceptabit renuntiationem nomine Capituli Generalis, revocata quacumque lege, et consuetudine in contrarium. Haec autem renuntiatio, admissio, et acceptatio debet fieri verbo, et scripto, coram testibus, et Secretario: et publicata renuntiatione, et admissione, officium vacat. Ibidem.

774 Tum vero idem Exminister Generalis, qui renuntiat, convocare debet eosdem Patres ad electionem Vicarii Generalis, in qua ipse praesidebit, cum suffragio, tametsi concurrat alius antiquior Ordinis Pater. Quod si his etiam convocandi, et praesidendi muneribus renuntiet, ea exerceat dignior ex congressu. Ibidem.

775 Vacante demum officio per assumptionem Ministri Generalis ad dignitatem aliquam extra Ordinem, puta Episcopatum, eligendus similiter est Vicarius Generalis ad praescriptum cujusque Familiae. Quo casu post publicam ejus institutionem in tali dignitate factam a Summo Pontifice, jam nec debet, nec potest habere sigilla, nec aliam in Ordine jurisdictionem exercere, nisi aliter a Sede Apostolica fuerit ordinatum. Itaque dignior Familiae Pater habeat sigilla, convocet, praesideat, suffragetur, ac si vacatio per mortem evenisset, servando in reliquis statuta generalia, non obstante quacumque consuetudine in contrarium. Ibidem.

776 Si autem ob easdem recensitas causas officium ipsum Vicarii Generalis vacare contingat; servatis servandis, cum eisdem suffragiis, solemnitatibus, et ritu fiat electio alterius Vicarii Generalis; qui non dicetur Vicarius Vicarii, sed Vicarius Ordinis, vel Ministri Generalis. Ibidem.

Vallis. 1593. 777 Vicario Generali quovis casu, ut supra, electo, tamquam Ordinario totius Ordinis Praelato, ab omnibus, et singulis utriusque Familiae Patribus, et Fratribus obedientia, et reverentia exhiberi debeat. Victor 1565. Qui si biennio saltem Ordinem universum moderatus fuerit, inter utriusque Familiae Patres, ac Definitores perpetuos censendus erit.

§. XXII.

De Commissario, et Vicecommissario Generali Familiae.

Salm. c. 8. Vallis. 1593. 778 Commissarii Generalis Familiae secundum Bullam Unionis electi officium triennio durat: quo tempore universam Familiam sibi creditam per se, aut per suos Commissarios visitare, atque omnia, quae de simili visitatione per Ministrum Generalem obeunda constituta sunt, accurate praestare debet.

Ex eisdem. 779 Ejus ordinaria potestas in sua Familia tanta est, quanta Generalis Ministri in toto Ordine: cui propterea omnes, et singulae ejusdem Familiae regularis aeque, ac strictioris Observantiae, nec non utriusque sexus personae firmiter obedire tenentur.

Salm. et Vallis. Sup. 780 Sed et alterius Familiae Fratres cujuscumque gradus, ac di-
Urban. VIII. *Inter multiplices.* gnitatis, quo tempore in ejusdem Commissarii partibus fuerint, sub ejus directione, et obedientia sint, et esse debeant: eosque (Generali Ministro in partibus, ex quibus assumptus est, existente) idem Commissarius delinquentes punire, eademque auctoritate in eos tam subditos, quam Praelatos, etiam a Generali Ministro institutos uti possit, qua uti posset Generalis ipse Minister, si praesens esset; nisi causa aliqua particularis per eumdem Ministrum ei fuerit interdicta. Hinc Officiales ipsi Romanae Curiae, absente a Cismontanis partibus Generali Mini-
Clem. XII. *Exponi nobis.* Bened. XIV. *Injunctis nobis.* stro, Commissario Generali Cismontano subduntur, et ab eo corrigi possunt. Excipitur Procurator Generalis Discalceatorum, et Recollectorum residens in conventu de Ultramontana Familia; pariterque excipiuntur Fratres degentes in conventibus, et provinciis eidem Familiae addictis.

Bulla Unionis. Salm. Vallis. Sup. 781 Et quamvis idem Commissarius Generalis subjiciatur Generali Ministro, eique in omnibus secundum regulam obedire debeat; libere tamen, eo etiam praesente, officium suum exercere, suaque auctoritate uti potest; nisi Generalis Minister, rationabili causa, eum a quibusdam negotiis suo judicio terminandis abstinere velit; aut aliquas provincias per se, vel per alios visitandas plenariae suae jurisdictioni re-
Rom. 1676. servet. Potest item Religiosos Familiae suae ad negotia absolvenda in aliam Familiam mittere.

Rom. 1664. Tolet. 1673. Salm. Vallis. Sup. 782 Secretarios duos habeat, alterum de regulari, alterum de strictiori Observantia; prudentia, et religione probatissimos, ac muneri suo pro dignitate obeundo vel maxime idoneos.

Rom. 1651. Salm. Vallis. Sup. 783 Praesente Generali Ministro praecedit omnes Patres, qui fuerint Commissarii Generales cujuscumque Familiae: suo autem functus officio, est Pater, ac Definitor perpetuus Familiae suae, ac socios duos

sibi gratos, ex quacumque ejusdem Familiae provincia arbitrio suo delectos, moribus quidem, ac vita probatos habere potest.

784 Vicecommissarius Generalis Familiae est, qui per electionem gubernat Familiam, ob vacationem Commissarii Generalis. Vacante itaque quovis modo Commissarii Generalis officio, fieri debet electio Vicecommissarii Generalis, eisdem suffragantibus, quos supra Electores diximus Vicarii Generalis; iis vero exceptis, qui degentes in territorio alieno, nullatenus ei subduntur, seu in quos Commissarius Generalis Familiae nihil juris habet: qualis est Procurator Generalis, qui supra n. 780. Rom. 1651.

785 Si morte vacet, Minister provinciae, in qua decesserit, cum Secretariis defuncti ea praestet, quae supra in simili de scripturis referendis, recognoscendis, ac muniendis fieri statutum est. Ipsi vero Secretarii scripturas cum sigillis ad dignorem Familiae Discretum quamprimum deferant: qui Discretus iis acceptis, accurateque recognitis, illico Generalem Ministrum admoneat, et interea Electores sine mora convocet, et cum eis ad electionem procedat juxta statuta Religionis. Rom. Sup.

786 Si electio ob renuntiationem facienda sit; Commissarius Generalis renuntiare volens, prius Patres suffragii jus habentes convocet, eisque renuntiationis causas proponat: quae si majori parti urgentes videantur, dignior Pater coram aliis nomine Capituli generalis renuntiationem acceptet, ut de Ministro Generali dictum est: et publicata vacatione, Commissarius ipse per Vocales jam praesentes secundum statuta electionem peragat. Ibidem.

787 Quod si vacatio eveniat per assumptionem ejusdem Commissarii ad aliquam dignitatem, electio Vice commissarii fiat, servata proportione, sicut electio Vicarii Generalis juxta leges Religionis. Ibidem.

788 Vicecommissarius Generalis, qui biennio Familiam rexerit, gaudet privilegiis Patrum Ordinis, et Discretorum Familiae. Ibidem.

789 Eadem privilegia conceduntur Vicecommissariis Generalibus, quos unquam, dilato propter occurrentia impedimenta ultra sexennium Capitulo Generali, loco Commissarii Generalis officio triennali functi, separatim pro Observantibus, et Reformatis literis apostolicis destinari contingat. Clement. XI. *Cum sicut.*

§. XXIII.

De Patribus Ordinis, et Familiae.

790 Totius Ordinis, et Familiae utriusque Patres, ac perpetui Definitores, et Discreti sunt, qui Generales Ministri aliquando fuerunt, quique Vicarii Generalis munere biennio sunt functi. Salm. c. 8. Neap. c. 30. Vallis. 1593.

791 Qui Commissarii, aut Vicecommissarii Generales Familiae biennio fuerunt, Patres Ordinis sunt, et Definitores, ac Discreti perpetui Familiae suae. Ex eisdem.

792 Sunt etiam Patres Ordinis Officiales Generales Romanae Curiae, et Definitores Generales sive actuales, sive habituales. Sed actuales sunt insuper Definitores, et Discreti temporanei Familiae suae. Rom. 1587. 1688. Salm. Neap. Vallis. Sup.

§. XXIV.

De Commissario Generali delegato, et Nationali.

Bulla unionis. Rom. 1651.

793 Commissarius Generalis delegatus est, qui per patentes literas regit unam, vel plures Nationes, aut etiam integram Familiam in absentia Generalis Ministri: neque enim quibus id officium committitur, Vicarii Generales dici debent, ut aliquando factum, sed Commissarii Generales Delegati, qualiter eos nominat Leo X in Bulla, quae Unionis dicitur.

Rom. Sup. Ultram. c. 7.

794 De his vero Commissariis semel, et iterum decretum est, ut transacta commissione remaneant in gradu, quem prius obtinebant, sine ulla praeeminentia, tametsi plus biennio gubernaverint.

Rom Sup.

795 Si quo tempore Commissarii isti officio funguntur, morte vacare contingat officium Ministri Generalis absentis, gubernare debeant auctoritate Capituli Generalis easdem nationes sibi a Ministro Generali concreditas ipso facultatis gradu, quam patentibus literis delegationis acceperant, usque ad electionem Vicarii Generalis.

Ibidem.

796 Eo autem casu non pertinet ad Commissarium delegatum habere sigilla, scripturas, convocare, et praesidere in electione Vicarii Generalis, etiam si sit de corpore Definitorii Generalis; nam haec munera pertinent ad digniorem Patrem illius Familiae, aut Nationis, ut statuta disponunt: Delegatus enim non habet aliam auctoritatem praeter illam expressam in patentibus delegationis.

Ibidem.

797 Hinc talis Commissarius non intrabit conclave electionis, si alio titulo non sit de corpore eligentium: si vero alio titulo sit elector, seu Vocalis, non debet nihilominus in conclavi electionis praesidere; id enim pertinet ad digniorem Patrem: in eodem tamen consessu, ob gradum praesulatus, post Praesidem sedebit.

Ibidem.

798 Ceterum in omnibus aliis actibus communitatis chori, refectorii, et cet. Commissarius Generalis Delegatus praesidebit: nam ipse dignior, qui servat sigilla, jurisdictionem non habet, nisi in linea faciendae electionis Vicarii Generalis, convocando, praesidendo, et suffragando.

Ex Rom. 1625 1639.

799 Commissarius Generalis Nationalis est, qui ob particulares causas a Ministro Generali instituitur pro regendis provinciis alicujus Nationis Plures olim fuisse ex statutis generalibus, et monumentis Ordinis constat.

Rom. 1625.

800 Talis est Commissarius Nationis Germano-Belgicae. Ad hoc autem officium nemo assumi potest, nisi antea aut Definitor, aut Lector jubilatus, aut majori officio functus fuerit, et provincias per se ipsum visitare valeat. Item assumendus est ex Patribus, qui in ejusdem Nationis provinciis nati, vel incorporati sint, seu debet esse filius provinciarum, quae sunt sub obedientia talis commissionis.

Tolet. 1633. Rom. 1651.

Bened. XIII. *Flagitantium.* Clement. XII. *Apostolici.*

801 Ejusdem rei causa Nationis Vocales sive in Nationali Congregatione, sive in Generali Capitulo congregati, quatuor ex suis Vocalibus seligere, nominare, et Ministro Generali praesentare possunt, a

quo unus ex eis instituendus erit, servata alternativa inter Germanos, et Belgas.

802 Ejus officium non extenditur ultra triennium. Sed Generalis Minister facultate sibi reservata utens, expleto triennio, eumdem, si visum fuerit, ad aliud triennium confirmare potest; ita tamen, ut alternativa per hujusmodi confirmationem nullatenus consumpta, et sublata censeatur, sed firma, et illaesa subsistat: unde si Commissarium Generalem ex Germanis confirmari contingat, consumpta confirmatione hujusmodi, unus ex duobus Belgis per Nationis Vocales nominatis institui: idemque e converso favore Germanorum peragi omnino debet.

Rom. 1639 1651.
Bened. et Clem. Sup.

803 Quod si ob bella, vel alia impedimenta Vocales Nationis congregari nequirent pro quatuor Patrum ad id munus praesentatione, ipse Generalis Minister alium Commissarium ex integro, et absque ulla praesentatione instituere poterit.

Bened. et Clem. Sup.

804 Commissarii Generales Nationales quotannis rationem reddant Superiori Generali de Capitulis in suis provinciis celebratis, et de rebus praecipuis intra, et extra capitula determinatis; et aliter facientes suspendantur ab officio ad arbitrium ejusdem Superioris. Item in Capitulis, et Congregationibus Generalibus syndicationem subeant, prout alii Superiores Generales.

Tolet. 1658.

§. XXV.

De Commissario Visitatore.

805 Quia Praelati Generales pro sui muneris ratione Fratres, et loca sibi subdita visitare tenentur; quoties ipsi ob legitima impedimenta, ut saepe accidit, per se facere non possint, per suos Commissarios id perficere diligenter curent, ut vel sic regularis disciplina, ubi collapsa sit, facilius instaurari; et ubi per Dei misericordiam illibata reperiatur, constantius servari, ac retineri possit.

Bulla Unionis. Salm. c. 8. Aquil. 1559. Rom. 1587. Vallis. 1593.

806 Cum itaque in tali, ac tanta causa Commissariorum hujusmodi vigilantia vel maxime nacessaria sit, rogantur Superiores Generales, ut in eorum delectu omne studium adhibere velint. Deligendi vero sunt viri prudentes, et seniorum judicio probati, qui prae ceteris probitate, solertia, verbi, et exempli praestantia ad visitationem pie, utiliterque obenndam vel maxime sint idonei; qui aut Patres Ordinis sint, aut ministeriatus officium laudabiliter gesserint, vel saltem qualitates ad idem officium requisitas certe habeant; qui zelo Dei poenas in statutis generalibus praefixas a transgressoribus exigere sciant, et velint.

Ex eisdem. Rom. 1651. Vallis. 1565. 1593. Rom. 1587. Vallis. 1593. Rom. 1651.

807 Sumantur e vicinioribus provinciis: mittantur vero quando nova provincialis Ministri habenda est electio; opportuno quidem tempore, ut provinciam universam diligenter antea visitare possint. Ad provincias vero Bosniae, et Bulgariae Generalis, si voluerit, ex propriis ipsarum alumnis destinare queat.

Rom. 1603. Salm. c. 8. Vallis. Sup. Victor. 1694.

808 Extra id tempus, si quem pro arduo negotio aut Generalis ipsius arbitrio, aut ad postulationem alicujus provinciae quandoque

Vallis. Sup.

mitti contingat, eo negotio peracto, mox de provincia egredi, et ad propria redire teneatur; nec Provinciale Capitulum celebrare possit, nisi per facultatem literis expressam specialiter id ei liceat: nec vero Provincialem Ministrum praecedat, aut impediat, quominus officium suum libere exequi possit, nisi aut ad universam provinciam negotium ipsum pertineat, aut secus rationabili de causa Generalis arbitrio ipsis facultatum literis expresse caveatur.

Salm. c. 8. Rom. 1571. Vallis. Sup. Rom. 1651. Vallis. Sup.

809 Commissarius Visitator commissionem suam executurus, eam Provinciali aut per se praesenti ostendat, aut per literas absenti significet. Ab eo recipiet in usum officii sui sigillum minus provinciae; majus enim usurpare sibi non potest. Deinde Provinciali ipsi locum, ubi visitatione durante manere debeat, assignet: qui tamen locus nunquam principalior sit.

Ex eisdem.

810 Communibus literis suum in provinciam adventum significet, monens, se in obeunda visitatione pro omnium bono ex salutaris obedientiae merito suscepta Fratrum orationibus adjuvari velle, ut videre quae agenda sunt, et, quae recta sunt, agere possit, et ad justitiam Dei faciendam sua procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera.

Ex eisdem.

811 Eisdem literis, quae visitandis agenda, quaeque item cavenda sint, edicat. Eos potissimum hortetur ad Sacramentorum perceptionem, precum frequentiam, atque alia pietatis officia, quibus tum salutarem visitationis exitum, tum etiam plenariam peccatorum indulgentiam ex dispensatione apostolica visitationis tempore consequendam promereri queant. Ad haec post matutinas, et vespertinas horas orationem aliquam fieri jubeat, quo uberiores ex visitatione fructus existant, Fratrumque animi hac etiam via praeparati, promptiores, erectioresque sint ad omnem regularis vitae disciplinam, ejusque prasidia pie, ac sancte suscipienda.

Ex eisdem.

812 A Guardianis requirant, ut cum proxime de adventu suo cognoverint, visitationis causa in promptu sint sacra suppellex universa; sacra volumina ad liturgiam, et divinum officium spectantia; scripturae de sacris reliquiis, et indulgentiis; monumenta de ecclesiarum juribus, et oneribus; statutorum generalium, et provincialium liber, cum regula, et loci sigillo, atque etiam consuetudinum tabula si quas in sacris functionibus obeundis provincia peculiares habeat; cum propriis, riteque confectis horum omnium inventariis, quibus singulis cujusque loci Guardiani, et Discretorum propria manu subscriptum sit: addito simili inventario librorum ad bibliothecas pertinentium; atque alio accepti, et expensi, totiusque administrationis rationem continente. Quae inventaria quo tempore, et quibus praesentibus conscripta sint, ex eorum subscriptione manifeste appareat; ut, si opus fuerit, conferri, atque etiam exscripta in visitationis acta referri possint.

Ex eisdem.

813 Demum singulis praecipiat, ne locorum fines egrediantur sine scripta facultate; neque ad gradus, et officia per conquisitos quarumcumque personarum extra Ordinem existentium favores, et suffragia viam sibi parare audeant; denuntiata omnimoda executione poenarum, quae in taliter peccantes apostolicis decretis constitutae sunt.

814 Commissarius Visitator duos tantum socios habeat, moribus, et vita probatos, studeatque quam celerrime, diligenter tamen, visitationem absolvere. Pedester incedat: in casu autem urgente, ac per regulam permisso, uno, eodemque humili jumento contentus sit. Nemini superfluis sumptibus gravem se, et onerosum praebeat: a muneribus, et munusculis etiam omnino abstineat: praeter vitae necessaria nihil aut ipse accipiat, aut a sociis accipi permittat. Quae omnia a Provincialibus Ministris etiam, dum visitationes obierint, servanda esse decernimus. Ex eisdem. Trid. Sess. 24. c. 3. Urban. VIII. *Militantes.* Vallis. et Trid. Sup. S.C.14Nov.1710

815 Non potest Commissarius mittere Clericos ad ordines; recipere Novitios; mittere ad concionandum in quadragesima, vel adventu; destinare Confessarios Monialium; distribuere spolia defunctorum; quae omnia ad Ministrum provinciae pertinent: inquirere tamen potest, an haec juste distributa sint. Rom. 1651.

816 Omnino abstineat a visitandis Monialium monasteriis, nisi ex rationabili causa id fuerit ei expresse concessum in patentibus literis suae delegationis. Rom. 1676.

817 Neque ei liceat Fratres ad alienas provincias, etiam contiguas, seu viciniores mittere, sub poena privationis vocis activae, et passivae per triennium, et gravis apostasiae subditis. Quod si visitationis tempore urgentis necessitatis, vel publicae utilitatis casus occurrat, de Visitatoris consensu Provincialis mittere valeat. Ad Generalem vero possit Visitator pro muneris sui, sibique creditae provinciae negotiis, quos destinandos judicaverit, destinare. Salm. c. 8. Vallis. 1593 Tolet. 1682. Salm. Vallis. Sup.

818 Debet inter cetera inquirere de immediati praedecessoris sui, et sociorum ejus officio, moribus, vita. Si vero peracta visitatione contra aliquem eorum fama publica insurgat; possit Generalis, non expectato tempore mittendi successorem, mox delegatum specialem destinare, ad effectum providendi, prout de jure. Tolet. Sup.

819 Inquirendum etiam illi diligenter est de vita, moribus, officio Provincialis Ministri, et sociorum. Generatim autem inquirat, an in visitationis loco, vel in universa provincia sint abusus regulae, aut constitutionum transgressiones, et transgressores? an perturbatores, seductores, discordiarum satores, morum corruptores, fautoresque malorum? nominatim in cujusque conventus visitatione quaerat, an Provincialis, de transgressione admonitus, taxatas poenas tam contra proprietatis reos, quam contra Guardianos cum illis colludentes exequi culpabiliter neglexerit? et in ejus syndicatione rationem exigat. Vallis. Sup. Victor. 1694.

820 Ne tamen in Provincialem Ministrum, aut in eos, qui simili officio functi sunt, vel in Patres Ordinis notabiliter animadvertere ei liceat, nisi ex probata causa, et de consilio, et consensu Patrum Provinciae, vel Provincialis Capituli. Quod si depositione, aut privatione opus sit, inconsulto Generali id exequi ne liceat. Si tamen agatur de adeo gravi crimine, ut populo scandalo sit, et Generalis praesentia infra decem dies haberi nequeat; possit Commissarius Visitator de consensu majoris partis dictorum Patrum suspendere, deponere, privare, Salm. Vallis. Sup.

quos suspensione, depositione, privatione dignos matura deliberatione praehabita judicaverit.

Rom. 1603. 821 Casus graves, qui in visitationibus occurrerint, per definitivam sententiam non determinet, nisi de consilio, et consensu Definitorum: inter quos si aliquis suspicione justa laborare deprehensus fuerit, puta amicitia, odio, et hujusmodi, in ejus locum ad causas definiendas alius Pater gravis sufficiatur.

Salm. Vallis. Sup. 822 Sine Patrum provinciae, vel majoris partis Vocalium in Provinciali Capitulo consensu aliqua ordinare, ordinata immutare, vel contra statuta provincialia facere non possit, nisi aut his ipsis constitutionibus repugnaverint, aut ex speciali facultate id ei liceat.

Vict. 1603. 823 Quocumque casu Guardianatum aliquem vacare contingat post captam a Visitatore officii possessionem, ad eum pertinet institutio Praesidentis usque ad novam Guardiani electionem; non obstante quavis contraria consuetudine.

Salm. c. 8. Salm. 1618. 824 Ceterum ex ordinaria sua commissione non habet vocem activam in electione Ministri, Custodis, et Definitorum, neque in eligendis Guardianis, aliisque Officialibus capitulari loco, et tempore destinandis, nisi id ei specialiter concessum fuerit: curare vero potest, et debet, ne indigni ad officia promoveantur.

Rom. 1603. Salm. c. 8. 825 Infra tres menses complere teneatur visitationem suam, eoque tempore finito nullum amplius exerceat jurisdictionis actum. Celebrato autem Provinciali Capitulo, saltem intra viginti dies e provincia egrediatur, secus expiret ejusdem auctoritas; nisi aliter ei speciali facultate concessum fuerit.

Tolet. 1682. 826 Si capta officii possessione eum mori contingat, declaratur, Provinciali competere regimen provinciae usque ad novi Visitatoris destinationem in iis tantum, quae moram non patiuntur. Hinc visitare, de praeteritis delictis processus formare, causas terminare, et similia facere non potest. Mortui autem Secretarius, coram Superiore, et Discretis Conventus, visitationes, ceterasque scripturas ad ejus officium pertinentes in inventarium referat, et minori sigillo provinciae munitas apud se usque ad novum Generalis mandatum asservet.

Ultram. in Vallis. 1661. 827 Quod si officii possessione inita mors eveniat Superioris Generalis, ipse nihilominus jurisdictionem suam prosequi debeat juxta dispositionem suarum patentium literarum, omnesque Fratres provinciae illi creditae eidem, ut prius, obedire teneantur.

Salm. c. 8. Vallis. 1593. Gregor. XIII. *Quoniam.* 828 Qui Provincialis, Guardianus, vel cujuscumque gradus Religiosus, aut Religiosa Commissariis ad visitandas provincias a Generali missis resistere, contradicere, vel se rebellem exhibere, ipsos quacumque de causa, vel quaesito colore non recipiendo, praesumpserit, excommunicationem Summo Pontifici reservatam, necnon perpetuam privationem officiorum, quae obtinuerit, cum inhabilitate ad eadem, et alia quaecumque vocis activae, et passivae privationem eo ipso incurrit. Sub eisdem poenis, quae a dictis Commissariis recte ac salubriter gesta, et ordinata fuerint, ne quisquam mutare, alterare, aut perver-

tere andeat, sine expressa licentia, et permissione ejusdem Generalis, qui solus ea mutare potest.

829 Renovando, et confirmando diversa utriusque Familiae statuta [Rom. 1700.] decernitur, Commissarium Visitatorem eligi non posse in Ministrum provinciae, quam visitat, sive illa propria sit, sive aliena, sive capitulo praesideat, sive non. Electio si fiat, nulla sit; et Electores utraque voce perpetuo careant. In provinciis Poloniae nedum Commissarii [Rom. 1642.] ipsi, sed neque quos a secretis, vel in socios duxerint, ad Provincialatum, Custodiatum, aut aliam earum dignitatem assumi possint.

§. XXVI.

De Officialibus Generalibus Romanae Curiae.

830 Officiales generales Romanae Curiae sunt Procurator Generalis [Vallis. 1593.] Ordinis, Commissarius generalis Curiae, Procurator generalis Reformatorum, et Procurator generalis Recollectorum, et Discalceatorum. Ah haec officia assumendi sunt viri graves, prudentes, rerum agendarum usu periti, qui muneribus suis digne, ac laudabiliter, cum totius Ordinis honore, ac communi utilitate satisfacere possint; quique alias ministeriatus [Ex decr. Gen. Min. 23. Jul. 1683.] officio functi sint, vel saltem qualitates habeant pro Ministeriatu requisitas, atque ad id munus cum laude obeundum idonei merito judicentur.

831 Eliguntur in Capitulo generali de sexennio in sexennium. Eveniente [Innoc. XII. *Cum nos nuper.*] autem quovis modo infra sexennium officii vacatione, designari [Idem *Sacrosancti.*] a Ministro generali respective debet Successor, unus ex tribus, qui [Clement. XIII. *Cum sicut.*] hanc ob causam in Capitulo generali delecti fuerint. [Bened. XIV.]

832 In Capitulo generali Definitoriis semper assistere ita debent, [*Exponi nobis.*] ut et in veteri, quod absolvitur, et in novo, quod creatur, Religionis [Rom. 1639.] rebus determinandis intersint.

833 Ad eos respective spectat, omnia Ordinis negotia, quae in [Salm. c. 8. Victor. 1694.] Romana Curia tractanda sunt, solicite, ac diligenter expedire. Ceteri vero cujuscumque gradus, et conditionis, sub poena privationis actuum legitimorum, ne praesumant agere, vel procurare negotium aliquod totum Ordinem, Familiam, vel Provinciam concernens: sed haec omnia Superiori generali, vel Officiali Curiae peragenda tradi debent, et expedienda relinqui. Neque Ministris Provincialibus, vel cuiquam parti- [Rom. 1664.] culari Religioso Procuratores saeculares instituere liceat pro negotiis provinciarum, vel aliis particularibus in eadem Curia tractandis, sub poena privationis vocis activae, et passivae, et nullitate earumdem institutionum.

834 Ipsi vero Officiales nullo modo se intromittant de Fratribus [Salm. c. 8. Ultram. c. 7.] quoad regimen provinciarum: neque aliquid tangens totum Ordinem, ejusque libertatem concernens, absque Generalis Ministri scitu, aut licentia procurent, vel procurari permittant.

835 Nullum praebeant consensum memorialibus, aut petitionibus, [Rom. 1664.]

quae contra formam statutorum Religionis fiunt: curamque adhibeant, ne gratiae concedantur, antequam de expositis veridicam notitiam a provinciis habeant.

Rom. 1732. 836 Neque favorabilia dent vota pro Guardianis prorogandis ultra triennium, tametsi Sacrae Congregationi supplicetur nomine Syndici, Communitatis, vel alterius; nisi per attestationes Ministrorum Provincialium, et saltem majoris partis Definitorii certi sint de utilitate, et necessitate hujusmodi prorogationis.

Ibidem. 837 Eadem utantur cautela quoad Fratres, qui praetextu assistendi consanguineis pauperibus, vel infirmis, a Sacra Congregatione petunt, ut sibi in certis conventibus manere liceat. Quod si vera, et probata necessitas id requirat, nullatenus in saecularium domibus pernoctare permittantur; uti apostolicis, et Ordinis constitutionibus praescriptum est.

Rom. 1700. 838 Quando Officialibus Curiae imponitur, ut supplicent Sanctissimo pro aliqua gratia, vel providentia, id omnino infra annum implere debeant, quantum ad illos attinet: alias de omissione in capitulo generali, sub poena amissionis suffragii, teneantur satisfacere, et per documenta legitima suam indemnitatem ostendere.

Paris. 1579. Ibidem. Vallis. 1593. Tolet. 1658. 839 Bullas apostolicas, Motus proprios, et Brevia omnia ad Ordinem quovis modo pertinentia praelo dari, et ad provincias mitti diligenter curent. Singulae autem provinciae pro expensis hanc ob causam, et ob communia negotia in dies fiendis, eam eleemosynam praestari, et solvi curent, quam ipsi simul praestandam, et solvendam communibus literis significaverint.

Ultram. in Tolet. 1583. 840 Eorum quisque formare debeat regestum eorum omnium, quae in Curia tempore officii sui circa Ordinem, provincias, et Fratres gesta, decreta, aut ordinata fuerint, omnibus clare, distincte, diligenterque descriptis.

Neap. c. 21. Vallis. Sup. 841 Officiales Curiae in Aracoeli residentes habent respective jurisdictionem ordinariam, et immediatam in Fratres quovis modo, vel causa aliunde, quam a Romana Provincia Romam venientes: quare supra illorum omnium regularem vivendi modum invigilare debent, et corrigere pro excessibus, et defectibus, quos Romae sive in conventu, sive extra commiserint. Quod si eorum quispiam grave aliquod crimen patraverit, unde per sententiam graviter puniendus sit; poterit Officialis Curiae respective, reo, si timeretur fuga, recluso, processum desuper instruere usque ad sententiam exclusive: haec enim Praelato Generali in Familia existenti erit remittenda. Neminem vero cum obedientialibus literis ad ullam provinciam destinare possunt; neque in Romana ipsa, vel in Curia diutius retinere, quam eorum negotia requirant.

Dec. Gen. Min. 13. Jan. 1680.

Stat. Ref. c. 8. Alex. VII. *Illius qui caritas.* 842 Eamdem jurisdictionem habet in forenses de Familia Reformationis Procurator Generalis Reformatorum residens in eorum conventu ad Ripam Tyberis, sed pro triduo tantum ingressus in Urbem. Elapso triduo, in iis, quae morum correctionem, et regularem disciplinam concernunt, subduntur curae Superioris localis: sed quoties pro

negotiis propriis exire velint, ab ipso etiam Procuratore licentiam, et benedictionem obtinere tenentur; sique Procurator, pro negotiis ad officium suum spectantibus, eorum opera uti, eosque secum ducere velit, non tenentur Superioris localis licentiam petere.

843 Officiales Curiae residentes in conventibus Commissario Generali Cismontano subjectis, absente Generali Ministro, eidem Commissario subduntur, et ab eo corrigi possunt etiam usque ad suspensionem ab officio, saltem quoadusque Minister Generalis certior fiat. Nulli vero alteri Praelato subduntur, sed omnino liberi, et exempti sunt.

Salm. c. 8. Urb. VIII. *Inter multiplices.*

844 Secretarium, duosque socios habere possunt, sibi, privative quoad Superiorem localem, aut Provincialem, immediate subjectos.

Salm. Sup. Vallis. Sup. Alex. VII. Sup.

845 Pro tempore officii sunt respective Patres, et Discreti unius, vel alterius Familiae: tum in sua quisque provincia, officio etiam deposito, in quibusvis capitulis, et congregationibus votum perpetuum consultivum, electivum, et decisivum habet.

Neap. c. 32. Vallis. 1593. Alexand. VII. *Ratio justitiae.*

846 Has autem, ceterasque ratione gesti officii sibi debitas praeeminentias ut consequantur, sufficit inceptum officii triennium. Item: Officiales Curiae de Observantia requisitum tempus complere censentur, sive id temporis spatium unico Procuratoris, aut Commissarii muuere decurrant, sive partim uno, partim altero.

Dec. Min. Gen. 23. Julii 1683. Clement. XII. *Exponi nobis.*

847 Ad procuratorem Generalem Ordinis pertinet in Cappella Pontificia orare, et congruis temporibus adesse. Ad eumdem spectant instantiae, quae in eadem Cappella fieri solent pro actu canonizationis Servorum Dei Ordinis nostri, ex quacumque Familia iidem sint, dummodo non adsint Postulatores ad id destinati.

Salm. c. 8. Ultram. c. 7.

848 Actualis Procurator Ordinis, ceteris paribus, semper, et ubique praecedit actualem Commissarium Curiae, et habitualis habitualem non obstante prioritate, vel posterioritate electionis.

Rom. 1651. Alexand. VII. *Alias. pro parte*

849 Procurator Generalis Reformatorum in capitulis, congregationibus, et Definitoriis generalibus sedet immediate post Procuratorem Generalem Ordinis, et Commissarium Generalem Curiae: et finito officio gaudet omnibus privilegiis, exemptionibus, et praecedentiis, quae dictis Procuratori, et Commissario conceduntur.

Urb. VIII. Injuncti.

850 Secretarii Procuratoris, et Commissarii Curiae praecedunt Secretarios provinciales, etiam in conventu Aracoelitano: expletoque officio, in propriis provinciis fruuntur, et gaudent omnibus, et singulis privilegiis, quibus frui, et gaudere solent, qui Definitores Provinciales fuerunt.

Rom. 1642. Urban. VIII. *Exponi nobis.*

§. XXVII.

De Definitoribus Generalibus.

851 In Definitorem Generalem eligi nemo potest, nisi trigesimum quintum aetatis annum, et Religionis vigesimum excesserit, et Minister Provincialis sit, vel fuerit; aut in praedicationis munere, vel sacrae theologiae lectura sexennio antea praeclare se gesserit; et integritate vi-

Salm. c. 8. Vallis. 1593.

Rom. 1679. tae, morumque gravitate commendatus sit. Item, nisi sit de corpore capituli, idest in eo suffragium habeat, vel actu sit Secretarius Generalis Familiae. Item, nisi in substantialibns juris, in constitutionibus Ordinis, in theologia, et regulari doctrina sit apprime versatus.

Vallis. Sup. Rom. 1639. 1679. 852 Definitores enim generales sunt primarii in Ordine judices. Ad eos ex officio spectat in gravioribns, et arduis Generali consulere, cum eo in generalibus comitiis de rebus tam particulares personas, quam communem provinciarum utilitatem, et commodum concernentibus agere; causas decidere; difficultates enodare; ac cetera definire, tractare, decidere, et expedire, quae tum expedienda, decidenda, tractanda, et definienda fuerint.

Vallis Sup. Rom. 1651. 853 Inter Definitores alter alterum praecedat, non ex majori suffragiorum numero, neque ex anterioritate scrutinii, in quo electus fuit, si scrutinia multiplicari contigerit; sed, ceteris paribus, ex antiquitate habitus.

Rom. 1639. 1651. Tolet. 1645. 854 Jus habent suffragandi in omnibus electionibus, et functionibus definitorialibus capituli, et congregationis generalis. Eodem jure gaudent in omnibus capitulis, cougregationibus, et definitoriis suarum provinciarum: et quidem in electione Custodis, et Definitorum vocem habent activam dumtaxat; sed in electione Provincialis Ministri habent etiam passivam, si cetera concurrant.

Rom. 1651. 1676 Tolet, 1633. 1651. 855 Eorum officium sexennio durat, seu de capitulo in capitulum. Quo tempore, si per obitum, vel aliter cujuspiam officium vacare contingat, ex ea ipsa natione, unde est vacatio, immediate unus ex illis succedit, qui fuerint Procuratores, vel Commissarii Generales Romanae Curiae, vel Definitores Generales, servata eorum dignitate, et, ceteris paribus, antiquitate: ita quidem, ut quamvis in provincie Definitoris, qui defecit, contingat esse Exdefinitorem Generalem, si tamen alibi, dummodo intra Nationem, sit alius antiquior, hic ipse praeferri debeat. Discr. Gen. Ord. 17. Nov. 1649. Item, si locus vacet ex parte Observantium, de Observantibus fit subrogatio; similique modo pro Reformatis; servato semper Nationis jure.

Ultram. in Matriten. 1685. 956 Subrogatus habebit a Superiore Generali patentes literas in testimonium suae subrogationis. In comitiis autem, et congressibus sedet ultimus inter Definitores, quamvis alias fuerit Procurator Generalis.

Rom. Sup. Ex Tolet. 1633. Rom. 1639. 1651. 857 Ceterum subrogationes hujusmodi ob veras officiorum vacationes fiunt: pro absentibus autem substitutiones adhibendae sunt. Cognita itaque in generali capitulo cujuspiam Definitoris Generalis absentia, ad substitntionem hoc ordine proceditur. Ex praesentibus, qui jure Vocalium convenerunt, absentis loco, de Natione ejusdem substitui debet, qui alias fuerit Officialis Generalis Romanae Curiae, vel Definitor Generalis: si tales desint, substituitur Vocalis provinciae Definitoris absentis: quod si hic ipse deficiat, substitutio fiat in persona dignioris de Natione, juxta seriem provinciarum.

Tolet. 1682. 858 Vocalis hoc modo substitutus, si alias non gaudebat Paternitate provinciae, per hanc ipsam substitutionem eam consequatur, apud Observantes post Jubilatos de numero; apud Reformatos, ubi gradus

Emeriti viget, post Lectorem Emeritum; alibi vero post Exsecretarios Generales; absque jure subrogandi, nisi eo gradu, quo prius.

859 Eveniente autem simili absentia in Congregatione generali, servanda erunt, quae §. de Congregatione generali hac de re praescripta sunt.

860 Expleto officio inter se, ceteris paribus, praecedunt qui prius Rom. 1651. 1676.
electi fuerunt: et in sua quisque provincia vocem, qualem prius, per- Clement. XIII. Injunctu nobis.
petuo habent.

861 Pro itinere ad comitia generalia singulis necessaria subsidia pro- Tolet. 1658.
priae provinciae curante Provinciali Ministro praestare debent.

§. XXVIII.

De Superiorum Generalium Secretariis, et Scriptoribus.

862 Conformiter ad omnia jura Secretarii Praelatorum Generalium, Rom. 1700.
prout Provincialium etiam, et Visitatorum, antequam suum munus exercere incipiant, juramentum in forma facere teneantur coram Superiore, cujus Secretarii sunt, et duobus saltem testibus: de quo constare debet per instrumentum publicum subscriptum a Superiore, Secretario, et testibus; in principio Regesti officii respective apponendum.

863 Literae, et aliae cujusvis generis scripturae a Praelato Generali Salm. c. 8.
propria manu signandae non illi presententur, nisi Familiae, ad quam Vallis. 1593.
pertinent, Secretarius antea viderit, et signandas probaverit.

864 Sublatis provinciarum titularium suffragiis, Secretarii Generales Rom. 1676.
Ordinis, qui Ministro, aut Vicario Generali pro una, et altera Familia assistunt, vi officii suffragium habeant, sed in Capitulo Generali tantum.

865 Secretarii Generalis Ministri in Ministrum, aut Commissarium Urban. VIII.
Generalem immediate, et per sexennium post illum Ministrum, cui in Prospero.
officio Secretarii inservierint, ac pariter durante dicto sexennio, si quovis modo novi Ministri Generalis officium immediate vacare contingat, in Vicarium Generalem eligi nullo modo possunt.

866 Generalis Ministri Exsecretarius, quamvis in officio posterior, Dec. Card. Pr
Commissarii Generalis Exsecretarium antiquiorem praecedit, nisi hic ipse 13. Nov. 16
aliam dignitatem obtineat, ratione cujus praecedentia sibi debeatur. S. C. authorit.

867 Secretarii Generales, qui plus biennio Praelatis Generalibus in- Neap. c. 32.
servierunt, Patres provinciae sunt, cum jure subrogandi, ceterisque prae- Vallis. 1593. Rom. 1651.
eminentiis, quibus fruuntur, qui Ministri Provinciales fuerunt, cum prae- Dec. Sup. Gen.
cedentia supra eos, quos aliquando inter Exministros indulto apostolico 17. Aug. 1732.
referri contigerit.

868 Scriptores, qui annis octo Curiae Superiorum Generalium in- Mediolan. 1729
servierunt, si testimonium habuerint de bene, fideliterque praestito servitio suo, admittuntur inter Patres Aggregatos ad tenorem statuti de Patrum aggregatione: in Reformatione autem habilitantur ad gradus usque ad Custodiatum.

§. XXIX.

De Ministro Provinciali.

Pius V. *Pastoralis.* Vallis. 1593.

869 In provincialem Ministrum eligatur, qui integritate vitae, gravitate morum, prudentia praeditus sit, ac scientia ad munus rite obeundum necessaria; qui anno aetatis trigesimo quinto, religionis vigesimo major sit, qui regulam servare, communemque cum aliis vitae usum ducere consueverit, et in posterum possit.

Rom. 1639. Valent. 1768.

870 Eligi vero sub nullitate electionis prohibetur, qui de corpore provinciae non sit, hoc est in ea professus, vel a longo tempore saltem per decennium incorporatus, quique in inferioribus officiis suae ad regendum aptitudinis specimen non praebuerit. Circa quod retenta, et ex parte correcta declaratione statuti Romani 1651 pro ampliori ejusdem rei expositione, neminem id specimen praebuisse, atque adeo in Provincialem eligi posse dicimus, nisi aut sit lector jubilatus; aut per sexennium theologiam legerit in studiis generalibus, vel provincialibus; vel sit Concionator Generalis, vel functus antea triennali munere Lectoris artium, ac per patentes Superiorum literas redditus habilis ad munus Lectoris theologi, aut decennio Confessarius Monialium fuerit, aut sexennio Guardianus conventuum Novitiatus, recollectionis, vel studii theologici, vel tandem in aliis superioribus officiis Religioni probe inserviendo scientiam, et prudentiam ad gubernandum notorie ostenderit.

Stat. Ref. c. 8. Rom. 1688.

871 In Reformatione eligendus in Ministrum annorum aetatis triginta quinque, Religionis saltem quindecim completorum esse debet. Rursus Lectorem eum, aut Praedicatorem fuisse oportet, aut bis Guardiani officio cum laude functum, vel alios majores gradus obtinuisse. Neque vero sufficit aut nudus Lectoris, vel Praedicatoris titulus sine exercitio praedicationis, vel lecturae, aut sola bina electio in Guardianum sejuncta ab exercitio legendi, et praedicandi: sed Lectoris, et Praedicatoris officia in praxim deducta esse oportet; et sine ipsis non sufficit, quod quis bis functus fuerit officio Guardiani. Praxis autem esse debet, quod triennio saltem exercita sit lectura theologiae vel scholasticae, vel mysticae, vel moralis, aut saltem artium; quodque triennio similiter cum laude exercita sit praedicatio quadragesimalis: sive anni ipsi continui sint, et solares, sive interpolati, et capitulares; pariterque sive lectura sit semper de eadem facultate, sive de altera, et altera ex recensitis: ita vero, ut lectiones theologiae moralis, vel mistycae, aut regulae fiant memoriter in pubblica mensa, terque saltem in mense, et de his constet per attestationes Guardiani, et Discretorum conventus; ut alibi de Lectoribus theologis dictum est: declarando, electionem aliter factam esse eo ipso nullam, et ad Superiorem Generalem devolvi, et hoc esse indispensabile.

Bulla. unionis. Salm. c. 8. Tolet. 1633.

872 Provincialis Minister triennalis sit: quod si casu aliquo Capitulum Provinciale pro electione alterius Ministri differatur ultra triennium, et semestre, provinciam cum suo Definitorio gubernet tamquam

Commissarius Provincialis, sed non habebit votum in Capitulo immediate sequente, nisi ei expresse concedatur a Superiore Generali, de consensu Procuratoris Generalis, et Definitorum Generalium, si praesentes fuerint. Similiter voto carebunt Definitores, nisi simili modo eis concedatur.

873 Duo Fratres germani in provincialem sibi succedere non possunt. Id vero intelligendum de successione immediata: quare frater fratri succedere poterit, si inter provincialatum primi, et electionem secundi mediet electio alterius in Capitulo Provinciali facta. Rom. 1639. Decr. Min. Gen. 13. Jan. 1680.

874 Ab ordinaria Provincialis Ministri jurisdictione, et obedientia nulla Fratrum, aut Monialium domus, nullus Frater, Monialis nulla exempta sit: sed omnes in omnibus, quae non sunt contra animam, et regulam ei subsint, et subesse debeant, et sub ejus immediata cura sint; nisi quo tempore Generalis per se, aut per suos Commissarios pro ejus syndicatu visitationem obierit. Vallis. 1590.

875 Provincialis Minister quotannis provinciam universam semel, aut pluries visitare debeat. Ne autem majorem temporis partem in uno extrahat conventu non sine detrimento visitationis aliorum, per obedientiam jubetur probe in hoc explere debitum suum, officiique tempus secundum locorum exigentiam apte distribuere. Neque vero particulares Commissarios per provinciam mittat, nisi ex legitima, et necessaria causa, et ad certum negotium; quo finito, commissionis officium statim cesset. Vallis. Sup. Rom. 1603.

876 De omnibus ordinatis, conclusis, et determinatis in Definitorio, aut Provinciali Capitulo, et Congregatione regestum fieri, in eoque acta omnia alicujus momenti diligenter notari curet: in quo praeterea carcerati, canonice moniti, aut alias poenitentiati describantur; tacitis tamen defectibus, ob quos carcerari, moneri, vel puniri contigerit: ipsumque regestum in provinciali archivio perpetuo servetur. Salm. Vallis. Sup.

877 Nullus Provincialis Minister per commissionem a Generali in propria provincia etiam cum potestatis plenitudine sibi datam exemptus sit ab obedientia, et jurisdictione Commissarii ab eodem Generali in provinciam missi; sed ei perinde subsit, ac si nullam ejusmodi commissionem accepisset. Neque per eamdem commissionem quidquam in provincia ordinare, ordinata immutare, vel contra statuta provincialia facere possit, nisi aut Patrum Discretorum, aut majoris partis Vocalium in Provinciali Capitulo consensus accesserit. Salm. Sup.

878 Socios habeat duos tantum, modestos, religiosos, graves: quorum qui a secretis fuerit, durante officio, praecedat Patres, quos habituales vocant: eo autem expleto, si non illi desit authenticum testimonium, quod bene deservierit, habeatque qualitates ad Definitoris gradum requisitas, sit inter Patres Aggregatos actu gaudentes ultimo loco: si autem dictis qualitatibus careat, de illis censeatur, qui loci vacationem expectant. Neap. c. 41. Vallis. Sup. Rom. 1700. Murc. 1756. Valent. 1768.

879 Praecipitur Ministris, ne admittant, vel recipiant in provinciis suis Tertiarios provinciae alienae absque licentia suorum respective Superiorum. Rom. 1667.

Salm. Sop. Rom. 1639. 1651. 880 Ministro e provincia exire non liceat, nisi electo, ut infra, Commissario, qui eam interim gubernet.

Rom. 1679. 881 Provincialis finito triennio coram Praeside Capituli, et novo Definitorio rationem reddere debeat omnium eleemosynarum communium provinciae, suppellectilium defunctorum, et ceterarum rerum, quarum administrationem habuit. Qui non fecerit, aut infidelis repertus fuerit, privatione actuum legitimorum pro culpae qualitate puniatur.

Salm. c. 8. Gregor. XIII. *Consuevit.* 882 In Capitulo, in quo officio absolvitur, vocem, et suffragium in omnibus habeat, et post Ministrum recens electum, reliquos omnes praecedat.

Salm. Sop. Rom. 1664. Gregor. XV. *Militantis.* Urban. VIII. *Militantis.* 883 Officio functus, antelatione, et praecedentia gaudeat secundum Ordinis statuta, et (inter Observantes) socium gratum habere possit, qui eidem inserviat, et conventui, in quo est: aliis vero immunitatibus, exemptionibus, licentiis omnino careat.

Tolet. 1658. Rom. 1615. 884 Qui alterius provinciae Minister fuerit, reversus ad propriam, inter ejus Patres in omnibus, et per omnia sit, sed ultimo inter Exprovinciales loco.

Rom. 1676. 885 Titulares Ministri nulli sint: et provinciarum, quae actu non subsistunt, suffragia per Ministrum, aut Vicarium Generalem Ordinis suppleri omnino prohibetur.

§. XXX.

De Vicario, et Commissario Provinciali.

Rom. 1651. Salm. c. 8. Vallis. 1593. Rom. 1639. Assis. 1753. 886 Vicarius Provincialis est, qui per electionem assumitur ad gerendas vices Provincialis Ministri, qui officio vacavit. Hinc eveniente sive per Ministri obitum, sive aliam ob causam officii vacatione, mox ab integro Definitorio Vicarius eligi debet. Electio autem per schedulas nemine proponente facienda est.

Ex eisdem. 887 Eveniente Ministri morte, Guardianus, aut Praeses conventus, in quo, vel in cujus territorio eum decedere contigerit, una cum illius Secretario scripturas ad provinciam spectantes in inventarium referat, easque minori sigillo provinciae munitas Secretarius, vel Guardianus, aut Rom. 1651. Praeses ad digniorem provinciae Patrem cum sigillis provinciae fideliter deferat. Quod si Minister decesserit intra terminos duobus locis communes, Guardianus loci, qui aut antiquitate, aut quavis alia ratione dignior habebitur, praescripta diligenter expleat.

Assis. 1753. 888 Existente in provincia Commissario Visitatore declaratur, eidem non competere jus praesidendi, aut suffragandi pro electione Vicarii, nisi a Superiore Generali rationabili de causa id esset ei specialiter commissum: posse tamen, et debere, in casu negligentiae Patris dignioris, eum compellere ad electionem faciendam.

Salm. et Vallis. Sop. Rom 1639. 1651. 889 Dignior itaque, recognitis scripturis, sine mora omnes, qui sunt de corpore Definitorii convocare debet ad conventum, qui sit in corde provinciae, vel alium, in quo electio celerius fieri possit: quod

si fraude electionem retardet, per sexennium privetur jure Patris provinciae, omnibusque praerogativis eidem paternitati annexis.

890 Dignior, qui tenet sigilla, electioni praesidere debet, cum voce activa, et passiva, nisi alias jure inhabilitatus sit. Rom Sup.

891 Non est autem celebranda electio inconsulto Superiore Generali, si eum esse contingat in spatio trium dietarum, hoc est leucarum triginta, computandarum a finibus provinciae, ubi vacatio evenit. Quod si longius distet, consulendus non est. Ex eisdem.

892 Si Ministrum Provincialem primo anno mori contingat, Superiori Generali in spatio trium dietarum reipsa existenti liberum sit Capitulum convocare ad electionem novi Ministri tantum, vel cum Definitorio Vicarium Provincialem eligere. Item, facta electione Vicarii, mox, petentibus provinciae Patribus una cum Definitorio, potest Superior Generalis ubivis existens indicere Capitulum pro electione novi Ministri, etiam contradicente Vicario recens electo. Minister autem ob vacationem quavis ex causa primo anno secutam, recens electus, seu deputatus una cum aliis provinciae Superioribus, atque Officialibus ad triennium continuet, et continuare debeat. Rom. 1664. Dec. Min. Gen. 10. Nov. 1769. S. Cong. 1660. Urban. VIII. *Creditum*

893 Si Vicarium electum ante captam possessionem officii renuntiare contingat, dignior, qui electioni praefuit, possit, imo prorsus debeat illico rursum convocare Patres, cognitaque legitima renuntiationis causa, alterum eligere, absque alia facultate Generalis existentis licet in spatio trium dietarum: idemque, ceteris paribus fiat, si praedictus Vicarius statim e vita discederet. Interim vero provinciae regimen in iis, quae moram non patiuntur, ad eumdem digniorem spectet. Tolet. 1680.

894 Si dignior sit Definitor, non possit renuntiare Definitoriatum ad effectum convocandi Electores: possit vero post electionem Vicarii. Tolet. 1658.

895 Qui in Vicarium Provincialem assumptus est, durabit usque ad Capitulum; quod Generalis arbitrio anticipari, vel prorogari poterit, dummodo tempus a lege praescriptum non excedatur. Nullo autem modo Vicarii regimen extendi potest ultra illud tempus, quo Minister, qui praecessit, absolvere debuisset officium suum. Rom. 1639. Rom. 1651.

896 Si paulo ante Capitulum moriatur Minister, ante Capituli celebrationem eligi debet Vicarius. Rom. 1664.

897 Vicarius Provincialis canonice electus suffragium in Capitulo Provinciali, et Generali ferre potest, et debet, tamquam Praelatus ordinarius provinciae: actoque Vicariatus biennio, gaudet privilegiis Patrum provinciae post eos, qui Ministri provinciae suae fuerunt, et ante eos, qui Ministri fuerunt provinciae alienae: quod si minus biennio gubernaverit, nullum ejusmodi privilegium obtinet. Rom. Sup. Rom 1639. 1651 1664. Dec. Super. Gen. 25. Dec. 1719.

898 Commissarius Provincialis est, cui committitur provinciae regimen in absentia Ministri. Itaque si Provincialis Minister aliqua causa discessurus est, eligi debet Definitorii suffragiis Commissarius, qui eam regat. Rom. 1651. 1664. 1667.

899 Si tempore absentiae Ministri officium morte, renuntiatione, vel alia causa vacet, idem Commissarius hoc ipso, citra novam electio- Rom 1639. 1651. Vallis. 1670. Dec. Min. Gen. S. C. 4. Dec. 1671.

nem, cum titulo, et praerogativis Vicarii regere debet provinciam usque ad celebrationem capituli. Et quidem in casu renuntiationis, ab ipso factae, et acceptatae renuntiationis instanti, titulo, privilegiis, et ordinario Vicarii Provincialis gubernio frui plenissime potest, et debet.

Rom. 1639. 1651. Rom. Sup. 900 Quod si eadem durante absentia Commissarium mori contingat, sine alia electione provinciae regimen spectet ad digniorem Patrem cum titulo, et auctoritate Commissarii Provincialis: qui ipse, si unquam eodem regiminis sui tempore mors eveniat Ministri absentis, cum titulo, et auctoritate Vicarii Provincialis usque ad capitulum gubernet.

§. XXXI.

De Custode.

Mon. Ord. 901 Custodum duo sunt genera: alii enim independenter a quolibet Provinciali Ministro Custodiis praesunt; alii de provinciis sunt, ac Provinciali Ministro subordinati: atque hos maxime hic locus respicit. Olim vero provinciis ob earum amplitudinem in Custodias divisis, pro Custodiarum numero plures in qualibet provincia erant Custodes, qui sub obedientia Ministri eas regebant: omnesque secundum regulam Vocales erant Capituli generalis, et Electores generalis Ministri.

Nicol. IV. *Ad statum pacificum.* 902 Sed plurimum aucto eorum numero, ne tot Vocalibus Capitulum gravaretur, apostolica constitutione cautum est, ut, instante Capitulo generali, ex omnibus cujusque provinciae Custodibus unus eligeretur, omnium nomine ad Capitulum mittendus; qui propterea Custos Custodum dici consuevit.

Vallis. 1593. 903 Successu temporis, provinciarum, ut commodius regi possent, circumscripta amplitudine, fere in universum, in Familia autem nostra omnino desiit ejusmodi Custodiarum, et Custodum partitio; solique jam Custodes regiminis dicuntur, et sunt, qui disjunctas, ut supra, Custodias regunt: eatenus tamen antiquae consuetudinis habita est ratio, ut pro qualibet provincia unum esse placuerit, in quo permaneret Custodis nomen cum officio suffragandi in generalibus comitiis; quem idcirco Custodem ad Capitulum generale invenimus dictum. Hic ipse initio non eligebatur nisi pro tempore comitiorum generalium: jam vero in quolibet Provinciali capitulo eligendus est.
Rom. 1603. Tolet. 1645.

Salm. c. 8. Neap. c. 34. Vallis. 1593. Rom. 1603. 904 Custos est de corpore Definitorii, et Definitorum primus, cum eisque durat de capitulo in capitulum: quare qualitatibus illis praeditum esse oportet, quibus, ut infra, praediti esse debent, qui in Definitores eligendi sunt.

Rom. 1664. Ultram. c. 7. Rom. 1667. Urb VIII. *Religiosos viros.* 905 Si eum paulo ante Capitulum mori contingat, alter ante capituli celebrationem eligi debet. Si alio tempore eveniat vacatio, alter item est eligendus. Quaevis autem ejus extra capitulum electio Definitorii suffragiis facienda est.

Clement. XIII. *Quaecumque.* Valent. 1678. 906 Custos est, ut praemisimus, Vocalis generalis capituli; non quidem semper, ut antea, sed data occasione: Ministro scilicet sive in-

firmitate, sive alia quacumque causa impedito, omissa omnino Prominístri electione, et missione, pergere ad capitulum debet Custos, tamquam legitimus Vocalis provinciae suae. Quod si hunc ipsum quavis ratione impediri contingat, eo ipso destitutus officio censeri debet; et alter ejus loco per Definitorium eligendus est, et mittendus.

907 Ad capitulum accedet Custos cum autheutico testimonio elec- Salm. Vallis.
tionis suae per literas Ministri, et Definitorum manu propria signatas, Sup.
et majori provinciae sigillo munitas, cumque authenticis syndicationum, aliarumque rerum scripturis in capitolo exhibendis: si non fecerit, ad suffragium non admittetur.

908 Custode extra capitulum provinciale utcumque electo, in pro- Rom. 1639.
ximo capitulo ejus cessat officium, novaque electio fieri debet: poterit vero ipse reeligi, si biennium non expleverit.

909 Quandocumque electus, Custodum privilegia non consequitur, Rom. 1639 1664.
nisi vel biennium expleverit, vel in Capitulo generali suffragatus sit. Rom. 1651.
Ceterum posita etiam conditione sive biennii, sive suffragii, si extra capitulum renuntiet, ea ipsa privilegia omnino omnia amittit.

910 Actualis Custos, ceteris paribus praecedit actualem Definito- Rom. 1615. 1651.
rem, et Custodem habitualem. Completo officio, praecedit Exdefinito- Tolet. 1682.
res quoscumque, quamvis electione antiquiores: idque servandum etiam in Reformatione quoad jus subrogandi. Inter ipsos autem habituales Custodes, ceteris paribus, praecedentia sumi debet a prioritate elec- Rom. 1651.
tionis.

911 Custos, qui capituli generalis in Hispania Vocalis fuerit, pe- Tolet. 1658.
riculosi, laboriosique itineris intuitu, officio functus, ultimum inter actuales Definitores locum habeat, nisi alius diguior sibi conveniat: inter Reformatos autem Vicarium Conventus, et actuales sacrae theologiae Lectores praecedat, juxta Breve Urbani Octavi.

§. XXXII.

De Definitore, et Definitorio Provinciali.

912 Cum dignitates ad conservandam, augendamque regularis vi- Vallis. 1593.
tae disciplinam institutae sint, ad Definitoris gradum tales vocentur, Ex Trid. Sess. 24. cap. 12.
qui pietatis, doctrinaeque praecellentia, et aliis exemplo esse, et Superiores Praelatos adjuvare, suisque muneribus, et eorum necessitatibus pares esse valeant.

913 In Definitorem itaque eligi nemo possit, nisi anno aetatis tri- Rom. 1582. Vallis. Sup.
gesimo, et religionis decimoquinto major, vitaeque integritate, et morum gravitate commendatus, vel Novitiorum Magister, vel a Secretis Provincialis Ministri, aut majorum Ordinis Praelatorum triennio fuerit, vel Guardiani munus integro saltem triennio cum laude gesserit; vel in praedicationis, aut lecturae munere annis saltem quatuor lauda- Valent. 1768.
biliter versatus sit. Circa quod declarando dicimus, praedicationem intelligendam esse de concionibus in quadragesima quotidie habitis in ec-

clesiis cathedralibus, vel collegiatis insignibus, vel in suggestis generalibus Ordinis; lecturam de theologia scholastica, vel dogmatica praelecta in studiis generalibus, vel provincialibus; Guardianatum de loci Novitiatus, recollectionis, vel studii theologici.

Rom. 1571. Vallis. Sup. 914 Neque in Definitorem eligi quis potest, quoties ejus electione praescriptum Definitorum numerum augeri contingeret: is namque numerus augeri non potest, nisi Generalis rationabiles ob causas speciali, et expressa dispensatione concedat. Praescriptus autem numerus est pro magnis provinciis sexdecim, duodecim pro parvis: quo tamen numero perpetuos provinciarum Definitores, et Discretos, Exprovinciales item, et Exprovincialium privilegiis gaudentes comprehendi nolumus.

Stat. Ref. c. 8. Rom. 1688. Victor. 1694. 915 Inter Reformatos ea ipsa requiruntur, quibus eligendum in Provincialem praeditum esse oportet: hoc solum excepto, quod si forte quis Lectoris, vel Praedicatoris officium triennio non exercuerit, eligi tamen in Custodem, et Definitorem possit, constito Praesidi capituli, et Definitorio, nemine discrepante, de illius intelligentia, et capacitate, qua in definitoriali coetu judicis, et conjudicis personam cum dignitate sustinere possit.

Vallis. Sup. Rom. 1639. S. Con. 1667. Dec. Min. Gen. 18. Jan. 1680. 916 Ex eadem cognatione duo simul in Definitores eligi, vel Definitorio simul interesse nequeunt. Id vero ad primum, et secundum tantummodo gradum inclusive extendi declaratur: et quo ad praesentiam in Definitorio omnes comprehendere, quotquot in eo vocem activam habent, exceptis solummodo Praelatis Generalibus actualibus, et eorum delegatis.

Dec. M.G. Sup. 917 Ceterum quod quis sit actu Definitor, Custos, vel Provincialis non impedit, quin alter de cognatione sua eligi possit in Officialem Generalem Curiae, vel Definitorem Generalem: sed hoc casu primus qui erat in possessione, solus pro tempore officii sui interesse debet definitorio, et secundus pro eodem tempore excludi.

Rom. 1664. 918 Si post Capitulum cognoscatur Definitorem aliquem fuisse invalide electum, destituatur officio: quo casu non intrat subrogationis lex, de qua infra, sed alter per Definitorium est eligendus.

Vallis. 1670. 919 Si infra dies capitulares capitulo nondum soluto contingat ob mortem, vel renuntiationem vacatio Definitoris, vel Custodis nuper electi, fiat a toto capitulo electio alterius: si autem vacatio contingat soluto Capitulo, etsi prorogato Definitorio, pro definitore provideri debet per subrogationem pro Custode per electionem.

Tolet. 1682. 920 Si contingat esse in aliqua provincia quintum Definitorem ipso quomodocumque vacante, vel absente, nec subrogatio fiat, nec substitutio: secus vero, si vacet, vel absit quisquam ex quatuor, etiam praesente, et non vacante quinto. Ceterum quinti abusum omnino arceri convenit: jubenturque Officiales Curiae, ne super id assensum praebant, nisi totum alicujus provinciae Definitorium publici boni causa supplicet: idque etiam commendatur Superiori Generali.

Rom. 1691.

Rom. 1651. 921 Definitores in eodem capitulo electi servent praecedentiam ab antiquitate habitus, si alios praecedendi titulos non habeant: secus enim qui ante definitoratum praecedebant, in Definitorio praecedere

debent, sive agatur de titulis, ob quos debeatur eis praecedentia supra Tolet. 1682.
Definitores, sive etiam de titulis actuali definitoriatu inferioribus, ut Rom. 1688.
est definitoriatus habitualis, et paternitas per aggregationem; dummodo prius electione reipsa inter habituales, vel Aggregatos locum habuerint, juxta statuta generalia.

922 Si facta electione Dafinitorum, intra actus capitulares cujus- Vallis. 1740.
piam locum vacare, et alterum eligi contingat, Definitores praeelecti, ceteris paribus praecedere hunc debent, quamvis habitu antiquiorem.

923 Definitores in Capitulo electi sunt per se de corpore Defini- Salm. c. 8.
torii, et necessaria ejus membra; ideoque ad omnia vocandi, quae Vallis. 1593. Rom. 1664.
per Definitorium gerenda sunt. Qui legitime non impeditus interesse renuat, vel negligat, officio privetur. Ubi vero quis eorum quovis modo deficiat, alter ejus loco substitui, vel subrogari omnino debet. Sine hoc supplemento electiones, sententiaeque definitoriales nullae sunt. Excipitur casus Definitoris, qui praesens, et vocatus adesse nolit, ut infra.

924 Si morte, vel aliter alicujus locum vacare contingat, suppleri Vallis. 1593.
debet per subrogationem, hoc est per successionem alterius cum eisdem Rom. 1600. 1639.
juribus pro toto eo tempore, quo Definitor deficiens durare debuisset.
Subrogatio autem non a solo Provinciali Ministro fiat, sed a toto De- Tolet. 1658. Vallis. Tolet.
finitorio. Facienda vero in persona dignioris, seu illius, qui secundum Rom. Sup.
statuta primus fuerit inter Patres gaudentes jure subrogandi.

925 Gaudent, qui fuerunt Ministri, aut Vicarii Provinciales sive Ex eisdem. Rom. 1651.
in propria, sive in altera provincia, aut Guardiani Hierusalem, aut Se- Tolet. Sup.
cretarii Generales: gaudentque pariter Lectores jubilati de numero. Horum defectu admittuntur ad subrogandum, etiam inter Reformatos, Custodes, et Definitores habituales; atque his etiam deficientibus, Guardiani conventuum principaliorum.

926 Patribus connumeratis inter eos, qui Provinciales Ministri, Vallis. 1670.
vel Definitores fuerunt, cum communicatione omnium privilegiorum, quae per apostolicas, et generales Ordinis constitutiones eis conceduntur, jus etiam ad subrogandum convenire declaratur. Secus vero aliis, qui quoad solam praecedentiam dictis Patribus aggregantur.

927 Vacatio sexennii apostolicis literis decreta non habet locum in S. Cong. 17. Nov. 1651.
subrogationibus, quas ad praescriptum constitutionum Ordinis fieri con- Rom. 1651.
tingat: unde subrogari potest, quin ejus vacationis tempus impletum sit.

928 Si dignior alio titulo sit de corpore Definitorii, subrogandus Rom. Sup. Rom. 1664.
erit qui proxime succedet: quod item faciendum, si dignior sit perpetuo impeditus.

929 Si dignior subrogationis faciendae tempore sit Guardianus, Tolet. 1682.
subrogari nihilominus potest, imo etiam debet, et subrogatus Guardiani munus prosequi poterit usque ad novam electionem Guardianorum in Congregatione immediata, vel in Capitulo Provinciali. Statuta vero, quae Definitorem Guardianum esse prohibent, de Definitore electo, vel jam subrogato intelligenda sunt, non autem de subrogando.

930 Excustos in subrogando praefertur Exdefinitori, quamvis ele- Rom. 1679. Tolet. 1682.
ctione antiquiori: pariterque Definitores habituales, qui alios praece- Rom. 1651.

dunt sede, et ordine, praecedere quoque debent jure subrogandi.

Valent. 1768. 931 In provinciis habentibus legitimam alternativam, subrogatio fieri debet ex illa parte, vel natione, unde vacatio contingit.

Vallis. 1593. Rom. 1600. Rom. 1651. Tolet. 1682. 932 Definitor subrogatus biennio durans, nisi sexennio vacet, non potest in Definitorem eligi: si vero minus biennio subrogavit, et alias sit extra sexennium, eligi poterit. Item: dignior, qui in subrogatione biennio perstitit, nisi pariter biennio vacet, non potest denuo subrogari, nisi agatur de subrogatione, quae minus biennio duratura sit.

Rom. 1639. 933 Definitore aliquo absente, ita ut intra tres dies adesse nequeat, supplendum per substitutionem, sive per ingressum alterius cum eodem suffragio. Fiet autem substitutio in persona dignioris, prout de subro-
Vallis. 1740. gando dictum est. Neque vero haec substitutio ex parte substituendi vacationem aliquam requirit: quare dignior, expleto biennio subrogationis, mox pro Definitore absente substitui potest.

S.C.6.Aug.1655. Rom. 1664. 934 Pro Definitore autem praesente, qui convenire renuat, non est alterius facienda substitutio: sed ipse renuens, nec legitime impeditus, suo privetur officio.

Neap. c. 32. Vallis. 1593. Rom. 1651. 935 Omnes Patres, qui sunt de corpore Definitorii, vocari a Ministro debent ad Congregationem, quae vim capitularem habet; ad electionem, vel depositionem cujusvis Guardiani, aut Confessarii Monialium extra capitulum, vel congregationem faciendam; ad ferendas sententias, ubi privatio officii, vel suffragiorum, aut alia poena per processum, et sententiam infligenda sit; et generatim, quoties aliquid occurrat pertinens ad munus officii sui.

Vallis. 1593. 936 Si Guardianus quispiam, aut Confessarius Monialium, ex constitutionum praescripto, privationis poenam ipso facto incurrat, Provincialis arbitrio suspendi quidem officio possit; sed privationis poenam
Rom. 1615. incurrisse, nisi causa in Definitorio cognita, declarari nequeat. Quoties autem Guardianus per Ministrum ab officio suspensus fuerit, ejus causa intra spatium trium mensium in Definitorio judicetur, et decidatur, quin possit ultra differri.

Ultram. c. 7. 937 Nullo modo arduum aliquod negotium in Definitorio proponatur simul, et decidatur; sed semper deliberatio intermedia fiat.

Stat. Ref. c. 8. Vallis. 1593 Tolet. 1658. 938 In omni Definitorio prior sententiam dicere debet, qui posterior loco est. In omnibus autem definitionibus sententia plurium praevaleat, et in casu cujuscumque decisionis, minor pars subscribere debeat sententiae majoris partis, etiam inter Reformatos.

S. C. 13. Mart. 1653. Tolet. 1682. 939 Ad evitandam suffragiorum paritatem, quae in Definitorio tam in decidendis negotiis, quam in faciendis electionibus oriri potest ex pari numero Vocalium, Minister Provincialis, sive congressus Praeses voti decisivi facultatem habet: id vero, quod ad electiones pertinet, de illis intelligendum, quae per ballottationem Praeside ipso proponente fiunt, non autem de aliis, quae nemine proponente fiunt per schedulas.

Rom. 1612. 940 Super sententiis a Definitorio latis nullus Provincialis, aut provinciae Visitator dispensare possit absque consensu majoris partis

ejusdem Definitorii, vel facultate sibi facta in scriptis a Praelato Generali.

941 Cum ad Magistratus dignitatem, bonique regiminis rationem Vallis. 1593. pertineat, ut quae secreto tractantur, secreta etiam sint; qui extra Definitorium manifestaverit, quae in eo tractata sunt, unde dissensiones, aut odia in Definitorum quempiam oriantur, aut oriri possint, si ea de re legitime constiterit, biennio in Definitorium ipsum admitti nequeat.

942 Definitores actuales venerari debent tamquam Conjudices Ministrorum Provincialium, et gaudere privilegiis per statuta concessis. Rom. 1651. Privilegia vero pro Definitoribus, et Custodibus provinciarum praescripta, sunt, quod suffragentur in omnibus provinciarum electionibus, deliberationibus, judiciis, sententiis; quodque praecedant juxta statuta generalia. Tenentur vero cum aliis die, noctuque interesse choro, communitatem de victu, et vestitu servare; exeundi licentiam, prout ceteri Fratres, a Superiore toties quoties petere.

943 Habitualium privilegia sunt praecedentia, prout in statutis, et Ex eisdem. jus subrogandi. Praecedentia vero inter se, ceteris paribus, sumitur ab electione, prout de Custodibus dictum est.

§. XXXIII.

De Patribus Provinciae.

944 Neque a Capitulo Generali, neque a Praelatis Generalibus instituti possunt Patres provinciae, nisi juxta statuta generalia Ordinis facta, vel fienda. Si quid in contrarium in provinciis fiat, attentatum declaratur, et nullius valoris. Urban. VIII. *Inter ceteras.* Clement. X. *Sacrosancti.* Benedict. XIV. *Apostolici.*

945 Facultas vero condendi statuta, taxando labores, et virtutes, Rom. 1639. 1651. Rom. Sup. quae remunerari poterunt et titulis, et praerogativis Patrum provinciae, in Capitulo Generali privative residet, servata forma constitutionum apostolicarum. Hinc nulla provincia per se in Definitorio, aut in provinciali Capitulo congregata, neque una cum Generali Ministro condere statuta poterit, quibus resultet aliquos institui Patres provinciae; secus Constitutiones apostolicae remanerent illaesae.

946 Provinciae Patres, ac Definitores sunt, qui Officiales Generales Curiae, vel Definitores Generales sunt, vel biennio fuerunt. Rom. Sup. Sunt item Patres provinciae cum titulis, honoribus, et privilegiis Patrum respective, qui fuerunt Ministri Provinciales; qui Vicarii Provinciales, Guardiani Hierusalem, aut Secretarii Generales biennio fuerunt; Lectores Jubilati numerarii, aliique aliis nominibus in Exprovincialium classem relati, nec non Custodes, et Definitores actuales: qui omnes servare inter se debent ordinem, et praecedentiam juxta disposita in statutis generalibus.

947 Sunt etiam Patres provinciae Custodes, et Definitores habituales, et qui secundum constitutiones Ordinis, Exdefinitorum praerogativis gaudent, eorumque numero Aggregati reipsa sunt. Ex var. Stat.

Rom. Sup. 948 Hi vero Aggregati non plures, quam qnatuor in qualibet provincia esse possint, ita quidem, ut, quocumque titulo polleant, connumerandi sint inter illos, qui numerum duodecim, vel sexdecim Definitorum suis electionibus complent, respective ad provincias magnas, vel parvas: ita ut provinciae magnae duodecim Patres per electionem, et quatuor Aggregatos habeant; parvae per electionem octo, et quatuor Aggregatos.

Rom. 1691. 949 Ceterum hi quatuor numero Patres Aggregati in provinciis sive magnis, sive parvis, repelli a suo loco non possint per multiplicationem Patrum electione factorum: sed si ex aliqua dispensatione (quam rarissime, et meritioribus viris tantum concedi desiderabile est) multiplicentur Patres ex electione ultra numerum octo, vel duodecim respective ad parvas, vel magnas provincias, nullum inde praejudicium resultet Patribus Aggregatis, sed idem semper numerus quatuor Patrum ex eis integretur; et quovis eorum deficiente, alter legitime succedat.

Salm. c. 8. Vallis. 1593. Urban. VIII. *Militantis.* Vallis. 1670. 950 Praecipuis provinciae Patribus Exministris, et qui ad eorum classem quovis modo pertinent, socium gratum habere licet. Habere vero prohibentur Custodes, et Definitores actuales, et habituales, sub poena privationis vocis activae, et passivae, cum extensione ejusdem poenae ad Superiores etiam Provinciales, et Locales, qui aliter permittant. De spec. Refor. et consuetud. In Reformatione soli Procuratores, et Definitores Generales, actuales, et habituales socii gaudent privilegio.

Tolet. 1658. 951 Quoties in constitutionibus nostris Pater antiquior vocatur ad subrogandum, praesidendum, vel aliud simile munus obeundum, illum esse antiquiorem intelligimus, et declaramus, qui tunc temporis, servata statutorum serie, primum locum tenet, et dignior invenitur.

§. XXXIV.

De Guardianis.

Trid. Sess. 24. cap. 12. Rom. 1587. Vallis. 1593. 952 Guardiani eligendi sunt moribus, scientia, agendarum rerum usu praestantes, anno aetatis trigesimo, Religionis decimo majores. Qui antea nunquam id munus gessit, eligi nequeat, nisi aut Vicarius, aut a Secretis Provincialis Ministri biennio fuerit, vel praedicationis, aut lecturae munere triennio functus sit. Hoc tamen decreto provincias Ultramarinas ob paucitatem Fratrum excipimus.

Vallis. Sup. 953 Liberum sit Definitorii Patribus, pro veteri, et probata consuetudine, Laicum etiam moribus, et vita probatissimum, bene de religione meritum, et alias idoneum, si expedire videatur, Guardianum eligere.

Rom. 1664. 954 Qui praeses ultra duos menses conventum rexit, non possit immediate in Guardianum eligi.

Rom. 1651. Tolet. 1682. 955 Guardiani, qui in capitulis creantur, durare possunt a Capitulo in Capitulum. Qui extra Capitulum fiunt, solum per triennium physice durant: ita quidem, ut, quemadmodum in capitulis electi durare possunt ad triennium et semestre absque dispensatione ulla, simili-

ter durare possunt electi extra capitulum ex speciali Generalis dispensatione.

956 In Capitulo, ant Congregatione provinciali omnium Guardianorum electio fiat; neque convetus ullns sine Guardiani institutione relinquatur. Nulla vero fiat aliorum electio, qui in casu vacationis succedant; et si fiat, sit ipso facto invalida. Rom. 1676. Tolet. 1658.

957 Si quis propositus in Guardianum pro uno conventu, per vota exclusus fuerit, non censeatur exclusus pro alio conventu. Rom. 1664.

958 Guardiani in capitulo, et congregatione electi, ante electionis publicationem de nno in alium conventum mutari possnnt. Extra capitulum vero, et congregationem non liceat Provinciali, et Definitorio mutare Guardianum de conventu in conventum absque renuntiatione, et nova electione, nisi de utriusque Guardiani, et Definitorii consensu. Acceptare autem Guardiani renunciationem extra capitulum, et congregationem non ad solum Provincialem, sed ad Definitorium pertinet. Tolet. 1658. Ibidem.

959 Guardiani in omni capitulo, et congregatione sponte, et ex animo in scriptis reuuntiare debeant; quod si non fecerint, fecisse tamen ceusendum erit: ipsumque capitulum, etiam intermedium, seu congregatio plenam habeat auctoritatem non continuandi Guardianos, et, prioribus amotis, alios eligendi, etiam nulla interveniente causa. Vallis. 1593. Rom. 1525. 1664. Rom. 1625.

960 Qui de uno guardianatu ad alium traslatus, de translatione conquestus fuerit, praetextu, quod facta sibi sit injuria, quodque praestantiori loco praeficiendus esset, officio privetur Patrum arbitratu, ut Superioribus obedire, publicae utilitati servire, et proprio affectui repugnare discat. Rom. 1687.

961 Qui ob fraudem, aut violatae castitatis notam, vel cujusvis generis scandalum Guardianatus officio privatus fuit, ad illum ipsum, et quaecumque Religionis officia inhabilis sit. Vallis. 1593.

962 Qui contra praescriptam vacationem, et alia in Guardianorum electione servanda quempiam eligere ausus fuerit, aut eligi permiserit, officio privetur, et suffragiorum jure careat, Superiorum arbitratu. Ex eisdem.

963 Mortuo alicujus conventus Guardiano, etiam post solemnitatem S. P. N. Francisci, liberum sit Ministro Provinciali cum suo definitorio loco defuncti alium eligere. Vallis. 1670.

964 Extra proprium conventum, aut civitatem, in qua conventus situs est, Guardianis conciones quadragesimales, aut adventuales habere non licet. Rom. 1615.

965 Qui non adhibitis conventus Discretis rem alicujus ponderis ad alium conventum miserint, a Provinciali graviter puniantnr: quique dona miserint ad singularem aliquem Patrem, vel Fratrem, dent poenas Urbani decreto contentas. Rom. 1676.

966 In Capitulis Provincialibus Guardiani ad snffragandum non admittantur, nisi prius coram Praeside, et Definitorio per juratas suorum Religiosorum, et Syndici Apostolici attestationes constare fecerint, se cuilibet indigenti de necessariis ministrasse. Qui tales attestationes ad Capitulum non detulerint, in eo voce passiva careant, et cujusvis officii tunc distribuendi incapaces sint, sub poena nullitatis: et post Capi- Victor. 1694.

tulum activa, et passiva voce per duo sequentia triennia solaria sint privati.

Ex Vallis. 1593. Dec. Min. Gen. 10. Sept. 1679. 967 Qui in principaliori provinciae loco integro biennio Guardiani officio functus est, praecedat Lectores artium, omnesque Sacerdotes etiam habitu antiquiores, qui trigesimum religionis annum non compleverint: idque non ibi tantum, ubi Guardianus fuit, sed et in ceteris conventibus provinciae suae.

§. XXXV.

De Vicariis, aliisque locorum Officialibus.

Vallis. 1593. 968 Vicarii instituantur moribus, et vita probati, divinisque laudibus sancte in ecclesia canendis vel maxime idonei; quique annum aetatis trigesimum, religionis decimum attigerint.

Rom. 1658. 969 Absentibus Guardiano, et Vicario, si non adsint Patres Ordinis vel provinciae, vel alius a Guardiano delegatus ad communitatem regendam, etiam in Reformatione, regere debeat qui alios praecedit.
Rom. 1679. Hinc theologiae Lectores, ubi legunt, si alius non sit, qui jure ipsos praecedat, conventui, et ejus communitatibus praesidere debent.

Urban. VIII. Rom. 1676. 970 Inter Reformatos, absente Guardiano, Vicarius in actionibus publicis primum locum tenet, praeceditque Patres Ordinis, et provinciae; modo Guardianus absit spatio unius dietae.

Vallis. Sup. 971 Pro singulis conventibus aliqui ex antiquioribus, et ad discretatus officium aptioribus designentur a Definitorio, et in capitulari tabella notentur Discreti, quos in gravioribus negotiis Guardiani semper adhibeant, eorumque communi consilio, et consensu determinatio fiat.
Rom. 1658. Inter Reformatos Discreti conventus censendi sunt digniores officio respective, et, ipsis deficientibus, antiquiores in religione.

Vallis. Sup. 972 In insignioribus provinciarum locis sit etiam chori Vicarius, et Moderator, voce, et canendi arte huic muneri idoneus; sacrarumque caeremoniarum Magister, et earum scientia reipsa eminens.

§. XXXVI.

De Titulis.

Rom. 1587. Neap. c. 41. Vallis. 1593. 973 Cum in Ordine inordinatum nihil, aut praeposterum esse debeat, sed omnia recte disposita esse vel maxime conveniat, prudenter quidem, ac provide sancitum est, quo quisque titulo a tergo literarum notari, et quo item loco, et ordine sedere, et in actibus publicis se habere debeat. Seriem praecedentiae dabimus infra: titulorum autem, quam hic subjicimus, forma a Fratribus, et Monialibus quibuscumque servanda erit.

Ibidem. 974 Generali Ministro, Vicario, et Commissario item Generali praesenti, ac praeterito scribatur *Reverendissimo Patri*: Officialibus Generalibus Curiae Romanae, Definitoribus Generalibus, ac Patribus Ordi-

nis, eorum cuique *Multum Reverendo*: Ministris Provincialibus praesentibus, ac praeteritis; Commissariis provinciarum Visitatoribus, Commissariis per absentiam Ministrorum provincias regentibus; Custodibus suffragantibus in Capitulis Generalibus, quousque functionem suam obierint; Lectoribus jubilatis quibuscumque; ceterisque Exprovincialium privilegiis gaudentibus, unicuique, *Reverendo*: locorum Superioribus, provinciarum Definitoribus, et Patribus; Officialium Curiae, et Superiorum Provincialium Secretariis; in primariis locis Guardianatus officio functis; Sacerdotibus trigesimo religionis anno majoribus; iis, qui lectura, vel praedicatione funguntur, horum cuilibet, *Multum Venerando*: Sacerdotibus reliquis, *Venerando*: Clericis, et Laicis, *Devoto Religioso*. Qui Frater, aut quae Monialis aliter scribere presumpserit, suffragiorum jure careat Superiorum arbitratu.

975 Ut nullus in scribendis literis, et titulis relinquatur errandi locus, praeter nomen proprium, patriam, et provinciam, suum quisque officium, aut cujus qualitatis sit, subscriptione significare teneatur; nisi adeo sit notus, ut de eo nullatenus dubitari possit. Vallis. Sop.

976 Nemini Vicariorum, aut Commissariorum Delegatorum a Reverendissimo Ministro Generali ad regendam Familiam, vel Nationem liceat, sub poena privationis suae delegationis, usurpare, vel acceptare titulum Reverendissimi: idemque sub eadem poena extenditur ad Commissarios Generales in partibus Indiarnm, et ad Guardianum Hierosolymitanum, seu Custodem Terrae Sanctae. Rom. 1676.

977 Ad servandam in Ordine uniformitatem intitulationis tam Praelatorum, et subditorum in particulari, quam provinciarum, et conventuum in communi, ex totius Capituli Generalis compromisso statuitur; quod nullus Religiosus seu active, seu passive vocari, aut intitulari possit, nisi conformiter ad statum, in quo reperitur; idest Observans, si sit de Observantibus; Reformatus, si de Reformatis; Discalceatus, si ex Discalceatis, sique ex Recollectis, Recollectns. Recollecti autem nomine intelligitur a Capitulo Generali Filius provinciae Recollectae; non autem Religiosus provinciae Observantis degens in conventu recollectionis; cum tam Fratres, quam conventus hujusmodi in toto corpore Observantiae pertineant ad membrum particulare Observantium, prout hoc differt a particularibus membris Reformatorum, Discalceatorum, et Recollectorum: idemque in provinciarum, et conventuum intitulatione, seu appellatione omnino servetur. Victor. 1694.

978 Qui autem seipsos, aut suas provincias, et conventus, vel alias provincias, et conventus, aut alios Fratres ex toto corpore Regularis, seu strictioris Observantiae vivos, aut mortuos aliter iscripserit, aut novo titulo a Sede Apostolica non admisso appellaverit, poenam Superiori Generali, vel Provinciali arbitrariam incurrat: salva insuper dispositione Leonis X. in Bulla Unionis circa nominum, et titulorum impositionem. Ibidem.

979 Praelati quoque, ad evitandam ridiculam titulorum copiam duos tantum titulos in suis patentibus apponi faciant ex Ordine prodeuntes; Ibidem.

praeter eos, qui ex occupationibus honorificis extra Ordinem sibi proveniant: ita ut Generalis appelletur Lector Jubilatus, et Minister Generalis; et non dissimiliter Commissarius Generalis Familiae, vel Nationis, posito, quod tales fuerint. Eodem titulorum numero utantur Provinciales, et Visitatores, videlicet litterario potiori, quem habeant, et officii, quod exercent, et ad summum alio paternitatis ordinis actualis, vel habitualis, qua gaudeant. Hanc vero normam eos, et reliquos Ordinis, et provinciarum Patres, et Fratres intitulandi, atque scribendi omnes servare debeant, sub poena aliter scribentibus in statutis comminata. Permittitur tamen, ut in dedicatoriis, et aliis publicis foliis singuli tituli Personam religiosam intra, vel extra Ordinem qualificantes exprimi possint, dummodo non ementiti sint, aut exaggerati, et non ita ponantur, ut derisum potius, quam venerationem concilient.

Ibidem. 980 Insuper Minister Generalis totius Ordinis, et Commissarius Generalis Familiae, ex quocumque Religionis membro ad tales dignitates assumpti fuerint, sive ex Observantibus, sive ex Reformatis, aut Discalceatis, vel Recollectis, in suis patentibus hunc titulum simpliciter apponant, nimirum: Frater N. N. Lector jubilatus, vel Emeritus, ut supra, et cet., Minister Generalis totius Ordinis Minorum S. P. N. Francisci: Frater N. N. Commissarius Generalis Ordinis Minorum S. P. N. Francisci in tota Familia Cismontana, vel Ultramontana. Et Religiosis omnibus praecipitur, ut nec ore, nec scripto, nec publice, nec private audeant illos alio titulo afficere, vel aliter nuncupare.

Rom. 1679. 981 Sub poena privationis actuum legitimorum per biennium nemo Lectoris nomen sibi arroget, vel ab aliquo talis appelletur, nisi per oppositionem Lector institutus fuerit pro determinato studio, vel Seminario, vel nisi actu legat, aut triennio legerit. Similiter, et sub eadem poena, qui praedicationis officium actu non exercent, vel per triennium non exercuerunt, Praedicatores appellari non possint. Quare patentes literas, seu institutiones ad legendum, quae emeritis studentibus concedi solent, declaramus non esse nisi praeparatorias facultates eisdem profuturas pro admissione ad concursum; non autem se solis sufficere ad titulum, et nominationem Lectoris: similique ratione institutiones ad concionandum disponere ad exercitium praedicationis, non autem sufficere ad titulum Praedicatoris. Idem proportione servandum de titulo Lectoris theologi.

Rom. 1688. 982 In Reformatione, qui nunquam actu legerunt artes, vel theologiam scholasticam, vel moralem, vel mysticam, vel regulam saltem per annum capitularem, legendo ad minus ter in quolibet mense, quique concionati laudabiliter non fuerint per integram quadragesimam, quamvis alias ad Lectoris, et Concionatoris munera examinati fuerint, et approbati, sive Superiores sint, sive subditi, nullo modo Lectores, vel Concionatores, multo minus Theologi nominari possint. Qui contra fecerit, sexennio voce passiva ipso facto privatus declaratur; super quo a solo Superiore Generali dispensari poterit. Provinciales, qui in literis patentibus, aut obedientialibus sibi, vel aliis tales titulos indebi-

tos dederint, suspensionem ab officio ad tempus Superiori Generali bene visum ipso facto incurrant: subditi vero in epistolarum ad eosdem datarum epigraphe tales titulos tribuentes, eo ipso voce passiva per triennium capitulare indispensabiliter careant. Hoc ipsum extenditur ad eos, qui tribuunt titulum Adm. Rom. Custodibus, Definitoribus, Guardianis, et aliis, quibus de jure non convenit.

§. XXXVII.

De Praecedentia.

983 Patrum, et Fratrum omnium praecedentiae, sive loci, hic est ordo: 1. Minister, et Vicarius Generalis totius Ordinis: 2. qui Ministri, aut Vicarii Generales Ordinis fuerunt: 3. Commissarius, aut Vicecommissarius Generalis Familiae: 4. Qui Familiae Commissarii, aut Vicecommissarii Generales fuerunt: 5. Praelati Provinciales, et Custodiales in sua quisque provincia, vel Custodia: 6. Guardiani in suo quisque conventu: 7. Officiales Genarales Romanae Curiae: 8. Definitores Genarales; 9. Qui Officiales Romanae Curiae fuerunt: 10. qui fuerunt Definitores Generales: 11. qui fuerunt Ministri, aut Vicarii Provinciales: 12. qui Provinciales fuerunt in aliena provincia: 13. qui fuerunt Guardiani Hierusalem: 14. Secretarii Superiorum Genaralium actuales, et habituales: 15. Lectores jubilati numerarii: 16. Custodes, et Definitores actuales provinciarum: 17. Excustodes, qui in Capitulo Generali in Hispaniis suffragati fuerint: 18. Lectores jubilati praeternumerarii: 19. Lectores actuales sacrae theologiae generales, et provinciales: 20. Secretarii actuales Officialium generalium Romanae Curiae: 21. Secretarii actuales provinciarum: 22. qui Custodes, et Definitores provinciarum fuerunt: 23. qui ad horum numerum aggregationis jure pertinent: 24. Vicarii in suo quisque conventu: 25. Sacerdotes, qui annum Religionis trigesimum compleverunt, pro cujusque in Ordine antiquitate: 26. Lectores artium, et casuum, et Praedicatores conventuum, sive in quadragesima, sive per annum, ubi, et quando legunt, et praedicant: 27. Sacerdotes reliqui: 28. Clerici; 29. Laici; omnes quidem pro nuper dicta antiquitate ab emissae professionis tempore computanda. Sed pro totius rei qua declaratione, qua supplemento, praeter ea, quae propriis locis dicta sunt, vel dicenda, aliqua addere est opus.

Ex Neap. c. 41. Vallis. 1593 Rom. 1639. 1661.

S. C. 21. Aug. 1654.

984 Patres, et Discreti perpetui Ordinis, et Familiae secundum a Superiore, quicumque is fuerit, locum semper, et ubique obtinent, ita ut unus tantum Superior eos praecedat. Quare si Praelati Generalis, Provincialis, Localis simul cohaereant, unus eorum tantum, quicumque ille sit, in quolibet capitulari, vel extracapitulari congressu eos praecedere debet.

Neap. Vallis. Rom. Sup.

985 Actualis Commissarius Generalis Familiae, praesente etiam Generali Ministro, praecedit omnes Patres, qui fuerint Commissarii Generales cujuscumque Familiae.

Ex eisdem.

Dec. Sup. Gen. 31. Aug 1756.

986 Quoties quempiam ex dictis Patribus esse contingat in principali conventu, in quo Provincialis Minister residentiam suam habere solet, absente sive occasione visitationis, sive alia de causa eodem Ministro Provinciali, cum propter fixam residentiam censeatur moraliter praesens, in publicis locis, et functionibus quibuscumque, Ordinis, aut Familiae Discreto debetur praecedentia supra Guardianum; quemadmodum ea fruitur eodem Ministro corporaliter presente.

Neap. et. Vallis. Sup.

987 In capitulo generali Officiales Curiae, Definitores Generales, et Secretarii Generales praecedunt Ministros Provinciales: pariterque in capitulo Provinciali Custodes, et Definitores provinciarum praecedunt Guardianos.

Ex eisdem.

988 Officiales Curiae, Definitores Generales, et Patres Ordinis quicumque praecedunt, ut supra, in omnibus provinciis. Idem esto de Secretariis Superiorum Generalium.

Rom. 1639

989 Ministri, et Definitores Provinciales actuales extra propriam provinciam praecedunt respective eos, qui Provinciales, et Definitores fuerunt.

Valent. 1768.

990 Inter Jubilatos praeternumerarios servandus ordo ab antiquitate jubilationis, nulla habita ratione, quod quis eorum Custos, aut Definitor fuerit, revocato quoad hoc statuto Victoriensi, nec obstante quavis contraria consuetudine.

Rom. 1691. Victor. 1694.

991 Lectores Jubilati sive numerarii, sive extranumerarii in aliena eos, qui pari gaudent praerogativa, subsequantur, quilibet sub sua respective categoria.

Vallis. Sup.

992 Guardiani extra proprium conventum, post Patres habituales, et Aggregatos, reliquos praecedant.

Rom. 1645. 1688.

993 Patres Ordinis, et provinciae, qui ex electione sunt facti, semper eos praecedere debent, qui privilegio ipsorum gaudent; idque etiam in actu officii.

Rom. 1679. Valli sol. 1740. Rom. 1760. Clemen. XII. *Exponi nobis.*

994 Theologiae Lectores actu legentes praecedunt Secretarios Officialium Generalium Curiae Romanae, Secretarios provinciarum, Exdefinitores, et Excustodes, non obstante quacumque contraria consuetudine.

995 Lectores artium, et casuum conscientiae praecedunt Sacerdotes, qui trigesimum Religionis annum non compleverunt: inter se autem pro antiquitate habitus sedeant, nisi quis eorum theologiam alias legisset.

Rom. 1639.

996 Laico ad Clericatum transeunti praecedentia debetur non a die suscepti habitus Conversorum, sed a die Clericatus.

997 Laici Professi Novitios omnes praecedunt.

S. C. 26. Feb. 1649. Tolet. 1645. Urban. VIII. *Alias pro Congregatione.* Bened. XIII. *Cum sicut.* Tolet, 1658.

998 A Reformatis servandus ordo praecedentiae in eorum constitutionibus descriptus, et specialibus Urbani VIII literis confirmatus, cum declarationibus ex compromisso Discretorii Reformatorum factis in Capitulo Romano 1688 a Reverendissimo Commissario Generali Carolo Francisco de Varisio, et in Victoriensi 1694 unanimiter approbatis. Praecedentia vero antianitatis attendenda inter eos non a professione, sed a susceptione habitus, dummodo susceptus fuerit in debita aetate illum suscipiendi.

999 Qui his debite, ac ordinate statutis contraire praesumpserit, debitis poenis afficiatur, Superiorum arbitratu, pro temeritatis, et contumaciae modo. Ex Neap. et Vallis. Sup.

§. XXXVIII.

De Privilegiis, et Privilegiatis.

1000 Ad tollendam ambitionem, relaxationemque eliminandam nullus ex quacumque causa privilegiis gaudeat, nisi iis tantum, quae in justum laboris proemium, et virtutis incitamentum per leges Ordinis decreta sunt, vel decerni contigerit. Rom. 1625. 1639.

1001 Contra vero, ac praeter generales Ordinis constitutiones cujusvis generis indulta, ac privilegia a nemine, nisi a Romano Pontifice pro tempore existente concedi cuiquam possunt. Bened. XIV. *Apostolica*

1002 Privilegium autem Patris Ordinis, vel provinciae, quod quis unquam obtinuerit, sine reali, et actuali exercitio officii indulto ipso respective designati, intelligi debeat de sola praecedentia, et titulo paternitatis, non autem de voto quovis modo exhibendo. Tolet. 1606.

Caput XI.

Fratres non praedicent in episcopatu alicujus Episcopi, dum ab eo illis fuerit contradictum. Et nullus Fratrum populo penitus audeat praedicare, nisi a Ministro Generali hujus Fraternitatis fuerit examinatus, et approbatus, etc. REGULA

§. I.

De Praedicatorum institutione, Missione, Officio.

1003 Ad Sacram verbi Dei praedicationem nemo admittantur, nisi aetatis sit annorum saltem viginti quinque; Sacerdos; de vitae, morumque integritate fide dignis testimoniis commendatus; qui sacrae theologiae integro triennio cum laude studuerit, suorumque Lectorum authenticam attestationem afferat, deque illius idoneitate tam in moribus, quam in doctrina constet per publicum examen coram pleno Definitorio sive in Capitulis, et Congregationibus provincialibus, sive alias collegialiter congregato faciendum. Salm. c. 9. Rom. 1587. Neap. c. 20. Rom. 1612. 1639. 1679. Mant. 1762.

1004 Examinetur autem de fide catholica, et de ecclesiasticis Sacramentis; an in doctrina Patrum satis versatus sit; an oecumenica concilia, et praecipue Tridentium legerit; an sacra eorum dogmata possideat; an detestatas haereses memoria teneat; an probatam praedicandi rationem calleat; an ipsius etiam corporis habitudine tanto muneri digne ineundo aptus sit, eamque morum gravitatem, et personam, quae apostolicum decet officium, praeseferat? Neap. Sup.

1005 Nemo itaque praedicare audeat, nisi cui Generalis Minister, Salm. Sup.

vel Ministri provinciarum in provincialibus capitulis, sive alii, quibus per Generalem Ministrum commissum fuerit, praedicandi officium praevio examine, et approbatione concesserint. Qui aliter institutus fuerit, pro suspenso, et privato habeatur.

Vallis. 1593.

1006 Superioribus autem ne liceat cuiquam praedicandi potestatem facere, nisi scripto, et iis tantum, qui per examen approbari meruerint, ejusdemque approbationis in ipsa facultate expressa facta mentione. Possint vero facultatem ipsam revocare, suspendere, arctare, quoties, sicut, et quomodo eis videbitur expedire.

Vallis. Sup. Rom. 1600. 1612. Tolet. 1633. Rom. 1642.

1007 Experimento compertum est multum obesse, si Praedicatores per se, vel per alios loca, et ecclesias petierint, in quibus concionentur; nam praedicant non missi. Quare omnino prohibetur, ne quis etiam insignis Concionator de loco suae praedicationis curam gerat, sive ullo praetextu, vel colore, directe, vel indirecte conciones in quadragesima, vel adventu habendas procuret; sed Superiorum nutus omnino attendat, a quibus Deo inspirante mittetur, ubi necessitas, vel utilitas postulaverit. Si secus fecerit, et constiterit, non mittatur. Quod si a Communitate aliqua, vel ab aliis quibuscumque requisitus fuerit, teneatur requirentes ipsos remittere ad Superiores Generalem, vel Provincialem, a quibus hoc petant: ita ut nullus omnino in quadragesima, vel adventu praedicare possit, nisi missus saltem a Ministro Provinciali.

Rom. 1600. 1612. Rom. 1600. 1615. 1642. 1779.

1008 Provincialis autem, ad quem Praedicatorum distributio, ac destinatio locorum in sua provincia pertinet, pro qualitate Praedicatorum loca designabit. Extra vero Praedicatores non mittantur: ac nemo concionari possit extra provinciam suam, nisi de licentia Superioris Generalis, aut de licentia tam Provincialis sui, quam alterius, in cujus districtu praedicaturus est, facta in utroque casu determinati loci assignatione. Licentiam autem sine loci determinatione concessam nullus Praelatus exequi permittat, non consulto de novo Superiore Generali.

Tolet. 1633.

1009 Poterit vero Superior Generalis de Praedicatoribus disponere pro exigentia, et ratione principalium civitatum, et locorum, ex quacumque provincia Praedicatores doctrina, et eloquentia magis commendatos, et approbatos assumendo.

Salm. c. 9. Vallis. 1593.

Ad vitandos tamen vagos, et inutiles discursus, et ut sanctae paupertatis votum exactius servetur, extra provincias Concionatores a Generalibus non mittantur, nisi ad ea loca, quibus pro veteri, ac probata consuetudine Generales ipsi mittere consueverunt. Quod si urgenti de causa alio etiam alios mitti oportuerit, ad confusionem evitandam, Provinciales primum ea de re, per eos, ad quos spectat, opportune admoneantur, ut ipsi Concionatores idoneos a Generali petere, et obtinere possint.

Vallis. Sup. Rom. 1600. Salm. c. 9. Rom. 1587.

1010 Praedicatores ad concionandum missi socium unum honestum, et boni exempli habeant, nec unquam soli ire possint, ne quod verbis aedificant, vitae exemplo destruant. Missi vero a Generalibus in alienas provincias praedicare non praesumant, nisi prius ab ejus provinciae Ministro benedictionem obtinuerint, saltem per epistolam, si coram petere nequiverint.

1011 Mutuae pacis retinendae causa, noverint Patres Reformati interdictam sibi praedicationem intra limites conventuum de Observantia, absque scripta facultate Ministri provinciae observantis: idemque similiter interdictum Observantibus, absque simili consensu Ministri provinciae reformatae. Rom. 1625.

1012 Abrogato praedicatoris clarissimi titulo, retentis vero privilegiis eidem annexis, qui olim post decennium concionum quadragesimalium, cum conditionibus alias decretis, Clarissimi dicebantur, Praedicatores Generales nuncupari debeant. Decennio autem nondum impleto, Praedicatores tantum nuncupentur. Vallis. 1740.

1013 Praedicatoris autem Generalis titulo, et privilegiis ii dumtaxat uti, et frui possint, qui in clarioribus Italiae civitatibus laudabiliter praedicaverint, ad formam constitutionum, dummodo in Metropolitanis, vel insignioribus, aut praecipuis Collegiatis id praestiterint, vel in suggestis generalibus, pro quibus ad Praelatos Generales de Praedicatoribus providere pertinet. Rom. 1676. 1679.

1014 Praedicatio autem decennalis in praedictis locis declaratur sufficiens pro ejus tituli assecutione, dum tamen per authentica testimonia constet ipsam praeclare, et cum Religionis honore fuisse habitam: ac sine dictis testimoniis nemo eo titulo decorari possit. Rom. 1679.

1015 Qui sub his conditionibus Praedicatores Generales instituti fuerint, admittuntur per aggregationem ad classem Definitorum habitualium: et quo tempore, et loco praedicant, praecedentiam habent immediate post Lectores actuales sacrae theologiae. Vallis. 1593. Rom. 1651. Vallis. Sup.

1016 In provinciis Reformatorum, quae Lectores Emeritos admittunt, qui annis duodecim in Verbi Dei promulgatione praeclare se gesserunt, modo id praestiterint in suggestis vere conspicuis, hoc est in ecclesiis cathedralibus, Collegiatis insignibus, et locis, ubi in quadragesima plures concionantur, tamquam Praedicatores Emeriti locum habeant immediate post Definitores actuales; hac tamen conditione, ut unus tantum, nempe qui prius duodennium expleverit, loci possessionem adeat, et absque jure subrogandi. Nemo autem Praedicator Emeritus institui debeat, nisi de munere laudabiliter expleto constiterit per legitimas, et juratas attestationes totius Definitorii, et Discretorum conventus: aliter institutiones ipsae nullae sint. Tolet. 1682. Victor. 1694. Clement. XI. Exponi nobis.

1017 Concionatores omnes generatim admonemus, ut, quae sacris canonibus, et regularibus Sanctorum Patrum institutis, ac praesertim sacri Concilii Tridentini decretis hac de re sancte praescripta sunt, inviolate servent. Caveant vero, ne quidquam cantra S. R. E. libertatem, aut dignitatem, praedicare, vel ecclesiasticis personis detrahere, vel scandalum contra Clerum excitare, vel Religionem aliquam criminose nominare praesumant. Qui fecerit, eo ipso praedicationis officio, et actibus legitimis perpetuo careat, et gravius etiam puniatur pro gravitate delicti. Quod si postea praedicare ausus fuerit, omni remota appellatione in carcerem trudatur. Superiores, qui in his exequendis negligentes, vel alias culpabiles fuerint, suspendantur ab officio, vel etiam priventur Generalis arbitratu. Vallis. Sup.

Ibidem.

1018 Demum Praedicatores quoscumque vehementer hortamur, ac in Domino requirimus, ut pro instituto, quod profitentur, et apostolico munere, quod exercent, ita pie, sancteque vivant, ut, quos erudiunt verbo, pascant exemplo, ne cum aliis praedicaverint, ipsi reprobi fiant, et quorum vita despicitur, eorum praedicatio contemnatur. Qui autem pravitatis exempla dederit, aut scandalo populo fuerit, praedicationis officio perpetuo privatus, gravius etiam puniatur, Superiorum arbitratu.

§. II.

De eleemosynis concionum intuitu oblatis.

Rom. 1600. Rom. 1612. Neap. c. 3.

1019 Ne concionatores nostri ullam avaritiae labem incurrant, et ne Verbum Dei tamquam venale habeatur, nullum pro se, vel sociis quaestum frumenti, olei, vel alterius rei facere audeant. Quaestus vero pecuniarios in ecclesiis nostri Ordinis quovis praetextu non admittant, neque in ecclesiis alienis pro se, vel sociis fieri permittant. Qui secus fecerit, Superioris arbitrio tamquam proprietarius puniatur. Sub eadem poena res in concione comparatas, vel oblatas vendere nemini liceat: eamdemque poenam omnino subeat, qui per se, vel per alios eleemosynas procurasse inventus fuerit.

Salm. c. 9. Rom. 1575. Neap. Sup. Vallis. 1593. Rom. 1612. Tolet. 1633. Urban. VIII. *Militantis* Innoc. XI. *Exponi nobis.*

1020 De eleemosynis autem pecuniariis concionum intuitu oblatis Praedicatores ipsi, sub poenis in proprietarios latis, atque etiam sub privatione officiorum, quae obtinent, perpetuaque inabilitate ad quaecumque officia, gradus, et dignitates in posterum ipso facto incurrendis, per se nullo modo disponant, nec eas ab offerentium manibus in suas recipiant, vel in procuratoris, sive alterius cujuslibet deponi faciant. Ipsi locorum Superiores proprietatis poenam subeant, et actibus legitimis per sexennium priventur, si eorum culpa, vel negligentia contra fieri contigerit.

Tolet. Innoc. XI. Salm. Neap. Vallis. Sup. Rom. 1575. Rom. 1575. 1600. 1612. Urb. VIII. Sup.

1021 Itaque si absoluta praedicatione, vel ante a quovis genere personarum Praedicatoribus ipsis hujusmodi eleemosynarum oblationes fiant, prout fuerit cujusque provinciae consuetudo, eorum quisque respondeat, libere, et integre consignandas fore vel Syndico sui conventus in ejus utilitatem, vel Syndico provinciae suae, ut de illis Minister juxta regulae praescriptum disponat.

Vallis. 1593. Rom. 1612.

1022 Superiores autem locorum, in quorum utilitatem eleemosynae praedictae cesserint, Praedicatoribus necessaria providere teneantur; Provincialium arbitrio, si neglexerint, graviter puniendi. Quatenus vero de illis per Ministrum Provincialem disponendum fuerit, idem Minister veris Praedicatorum necessitatibus a toto Definitorio examinandis consulat. Provincialis vero de eisdem eleemosynis nihil omnino curet expendendum, nisi per Procuratorem cum consilio, et assensu totius Definitorii sub poena privationis officii, rationemque exactissimam reddet eidem Definitorio in Congregatione, et Superiori Generali in capitulo.

CAPUT X.

Fratres, qui sunt Ministri, et servi aliorum Fratrum, visitent, et moneant Fratres suos, et humiliter, et caritative corrigant eos, etc. REGULA

§. I.

De Visitationis apparatu.

1023 NECESSARIUM illud, ac plane debitum visitandi munus, veteri ac probatissimo Sanctorum Patrum instituto magnopere commendatum tanti semper fecerunt Majores nostri, ut inter praecipua paternae solicitudinis, et publicae servitutis officia merito habendum esse censuerint. Magna siquidem visitationis utilitas, si recte, si pie, si vivido instituendae, retinendaeque regularis disciplinae studio obeatur. Vallis. 1593.

1024 Visitationis enim scopus esse debet sanam doctrinam retinere, bonos mores tueri, pravos corrigere, quae in hanc rem sacris canonibus, sanctionibus apostolicis, atque Ordinis legibus copiose, ac salubriter sancita sunt, omnino servari velle: Fratres salutaribus monitis ad religionem, ceterasque virtutes incendere; quae ad Fratrum salutem, et aliorum exemplum, prout locus, tempus, et occasio ferat, expedire videantur, ex visitantium prudentia constituere. Ex eisdem. Trid. Sess. 24. cap. 3.

1025 Quae ut facilius, feliciusque succedant, monentur Praelati omnes Generales, et Provinciales, ad quos visitatio spectat, delectique ab eis Commissarii, ut paterna caritate, christianoque zelo omnes amplectantur, et domi, ac foris ita parce, ac modeste se gerant, ut sanctae paupertatis memores, tam loca relevare, quam proximis exemplo esse curent. Trident. Vallis. Sup. Ex eisdem. Pius V. *Pastoralis.*

1026 Illud vero et verbis, et factis vel maxime ostendant, quod ipsi nihil praeter Dei gloriam, et Fratrum, locorumque, quos visitant, utilitatem quaerunt, aut volunt. Meminerint se communem curam, communisque patris personam gerere; quare omnino videant, ne personarum acceptatores sint. In omnibus autem ita prudenter se gerant, ut nemo prae nimia confidentia insolescat, nemo pro diffidentia desperet. Vallis. Sup.

1027 Ad visitationis locum ubi Visitator venerit, capitularis campanae signo Fratres in capitulum convocet, ad eosque pro loci, ac temporis ratione sermonem habeat, quo eos graviter hortetur tum ad pietatis officia, tum vero maxime, ut sincere, fideliter, atque intimae caritatis studio aperire velint quaecumque admonitione, correctione, reformatione, provisione, aut visitatione indigere in Domino cognoverint. Quod ut recte, ac fructuose fiat, id eisdem districte praecipiat in virtute sanctae obedientiae. Cumque peroraverit, primum quidem quae ad divinum cultum pertinent, visitet; tum reliqua ordine, prout infra. Ex eisdem.

1028 Ut autem aptius possint Visitatores in officio subditos conti- Ex eisdem. Trid. Sess. 22. c. 4.

nere, in omnibus, quae ad visitationem, morumque reformationem, et correctionem spectant, jus, et potestatem habeant ea ordinandi, moderandi, puniendi, et exequendi, juxta tamen generalia, ac provincialia statuta, quae illis ex eorum prudentia pro Subditorum emendatione, ac provinciarum utilitate necessaria videbuntur. Nec in iis, ubi de visitatione, aut morum correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio, seu querela, etiam ad Superiores interposita, executionem eorum, quae ab eis mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquo modo impediat, aut suspendat.

§. II.

De visitatione rerum, et locorum.

Vallis. 1593. 1029 Quod primum est, Visitator Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum maxima religione visitet; deinde Sanctorum Reliquias, Oleum Sanctum, Altaria, Cappellas, Confessionalia, Sepulturas, Ecclesiam, Sacristiam, omnemque Sacram Supellectilem: atque hujus, eorumque etiam, quae sequuntur, visitationis rite obeundae gratia, quae in hanc rem Vallisoletanis statutis luculenter exposita habentur, consulere praestabit.

Innocent. XII. *Nuper.* 1030 Decretorum apostolicorum de celebratione Missarum executioni sedulo invigilans, ad eorum tenorem in omnibus, et singulis provinciae domibus, de omnibus, et singulis Missarum oneribus, et satisfactione exactam, et diligentem rationem exigat: et contra delinquentes, si quos invenerit, ad poenarum in decretis contentarum declarationem, et executionem respective procedat.

Vallis. Sup. 1031 Adibit totius conventus aedificia, ut constare possit, an quae ad honestatem, et clausuram pertinent, recte sint disposita. Infirmariam specialiter inviset, ut per se videat, an pro necessitatibus infirmorum satis, ut decet, provisum sit. Inspiciet bibliothecam, et inventaria librorum, deque eorum tutela, et conservatione diligenter quaeret. Aromatariam, si fuerit, inspiciet, adhibito Phisico ad ejus conditionem utilius explorandam. Videbit hospitia, sive mansiones pro hospitibus caritate debita excipiendis.

Salm. c. 9. Neap. c. 8. Vallis. Sup. Rom. 1571. 1032 Singulas etiam Fratrum cellas accurate observabit, e quibus anaclynteria, linteamina, crepidas, interulas, si fuerint, auferet, solis, permittens male valentibus, vel incommoda patientibus provectioris aetatis: vana quoque, curiosa, et superflua tollet, omnesque delicias; maxime providens, ut omnis supellex instituto nostro, et paupertati congruat; neque vero desint, quae necessaria sunt.

§. III.

De visitatione Personarum.

1033 Opportuno loco, et tempore Fratres omnes, et singulos ad se vocatos Visitator interroget de divino cultu; de frequentia chori, ejusque disciplina, de pia psallendi, et canendi ratione, de accurata sacrorum rituum ex ecclesiae praescripto observatione: an divina officia die, noctuque in ecclesia ter sancte fiant, omnesque ad ea conveniant? an omnes pie, modeste, religiose in ecclesia versentur? quaerat de communi mensa, an omnes benedictioni, et gratiarum actioni semper adsint? an in silentio comedant? an communi victu utantur? an ex sacra scriptura, et probatis Patribus lectio semper habeatur? an generalia, et provincialia statuta, decretaque apostolica opportunis temporibus legantur? Inquirat, an sint in loco sanctae paupertatis, honestatis, aut obedientiae violatores? an pecuniae contra praescriptum quaerantur, serventur, expendantur? an alia contra regulam, vel constitutiones fiant? an Guardianus muneris sui partes sapienter expleat? an vitae exemplo, doctrinaeque opportunitate omnibus prosit? Salm. et Vallis. Sup.

1034 Fratres autem de his, et similibus, cum per obedientiam requisiti fuerint, sincere, et pro conscientia respondere teneantur, nisi agatur de excessibus, quos non aliter, quam sacramentali confessione noverint. Si quis non teneri asserat, et monitus, revocare nolit, actibus legitimis privetur; sique in contumacia persistat, carceris poena, et gravius etiam puniatur, pro contumaciae modo. Ex eisdem.

1035 Qui vero dogmatizzare ausus fuerit, quod Frater Fratrem de aliquo excessu secundum Evangelii normam in occulto corripiens, non teneatur dicere Praelato, quamvis ab eo per obedientiam requisitus, ac similiter, quod quando aliqui sunt socii criminis, non tenetur alter alterum revelare Superiori, qui potest, et debet omnibus prodesse, et animarum periculis paterna providentia praecavere: declaramus, doctrinam hanc pestiferam esse, quippe vergentem in detrimentum Ordinis, ac regularis disciplinae, cum Praelati subditorum excessus scire debeant, non solum ut confessos, aut convictos puniant, sed ut periculum etiam praecavere possint. Quamobrem taliter dogmatizantes, et pertinaciter tenentes actibus legitimis privari, et carceribus etiam coerceri debeant. Ex eisdem.

1036 Quicumque Fratrum ordinario Praelato, quae visitatione digna sunt, minimae detexerit, alteri futurae visitationi reservans, nisi de legitima causa satis constet, acriter puniatur. Neque ideo delinquentes visitandi absoluti censeantur, sed sub Generalibus Praelatis, sive eorum Commissariis debitas delictorum luent poenas. Rom. 1587.

1037 Qui autem cujusvis visitationis tempore Fratrum defectus non manifestaverit, sed malitiose, et callide eos in aliud tempus cuivis Ordinis Praelato manifestandos, aut literas contra quempiam servarit, et postea in judicio, aut visitatione deduxerit, produxeritve; ut bublicae tranquillitatis, quietis, et pacis perturbator; alienae famae insidiator, et in- Neap. c. 39. Vallis. Sup.

visor, et fraternae charitatis impugnator, ipso facto actibus legitimis perpetuo careat, infamis sit, nec audiatur. Neque vero in excusationem prodesse illi debeat praetextus, quod non fidebat primo Visitatori, nisi forte eodem visitationis tempore apud eum protestetur, se recurrere velle ad alium Superiorem: quo casu et hunc alium nominatim exprimere, et infra terminum ab eodem Visitatore praefixum protestationem ipsam exequi teneatur.

Rom. 1603. Salm. Vallis. Sup.

1038 Ceterum Visitator nullo modo de omnino occultis se intromittat, sed de iis tantum, quae ab homine denuntiata sint, vel de quibus fama, et clamorosa insinuatio fuerit. Cui etiam expresse prohibetur, ne Fratrum nomina, per quos cujusquam delictum visitatione ipsa cognoverit, ullo modo cuiquam iudicare audeat. Si fecerit, et se graviter peccasse sciat, et ubi legitime constiterit, a superioribus acriter puniri debeat.

Ex eisdem. Ultram. c. 6.

1039 Visitatione peracta, quae admonenda, vel corrigenda erunt, Visitator moneat, corrigat. Si specialia decreta edi oportuerit, eisdem subscribat, et sigillo munita servari jubeat.

Vallis. Sup. Trid. Ses. 13. c. 1

1040 In reprehendendis criminibus Visitator, prout etiam Superior quisque, modestis, ac temperatis verbis semper utatur, ita ut nullo modo turbationis causam subditis praebeat. Qua modestia, et temperantia utendum similiter erit, quoties iidem Praelati ad Fratres capitulariter congregatos exhortationis verba proponunt, aut sermocinantur. Qui secus fecerit, corrigatur, vel etiam suspendatur officio, Superioris arbitratu.

Rom. 1615.

1041 Ab his autem, quae Ministri Provinciales, aut Visitatores causa visitationis, et correctionis morum ordinant, et disponunt, nullo modo appellari possit; nec praetextu talis fictae appellationis cuiquam liceat ad praesentiam Praelatorum accedere.

Ex Salm. c. 7. 10. Vallis. Sup. Rom. 1639.

1042 Ubi autem e foro paterno, et correctionibus salutaribus exire, ac judicialiter procedere oporteat, procedendi modus non erit arbitrarius, sed canonicus, et ad normam Criminalis Praticae alias laudatae.

1043 Ad finem visitationis congregatis capitulariter Fratribus, Visitator de regulari disciplina hortatorium ad eos sermonem habeat. Fratres generali confessione coram eo se accusent. Ipsemet salutares imponat poenitentias; factaque generali absolutione singulis benedicat.

Salm. c. 10.

1044 Scripturas visitationis, qua parte continent confessiones, sive depositiones Fratrum, et alia acta judicialia, servare non teneatur ultra sex menses post Capitulum Generale, vel provinciale, si res ad illud deducenda esset: infra enim dictum tempus qui de justitia sibi facta querelas dare voluerit, significare debeat legitimo Superiori; eoque elapso tempore perpetuum silentium imponitur.

§. IV.

De Praelatorum residentia.

1045 Cum ad retinendam regularis vitae disciplinam Superiorum integritas, et praesentia vel maxime necessaria sit, confidentes per Dei, ac Domini nostri misericordiam, providamque Generalis Ministri solertiam, et pietatem omnino futurum, ut ad provinciarum, et locorum regimen qui maxime digni, atque idonei fuerint, assumantur; omnes, et singulos, et universae Familiae, et provinciis, Custodiis, ac domibus Praefectos, monemus, et monitos esse volumus, ut sibi attendentes, sibique credito gregi, vigilent, sicut Apostolus praecipit, in omnibus laborent, ac ministerium suum impleant: implere autem illud se nequaquam posse sciant, nisi custodiae praesentes incumbant, factique forma gregis ex animo, in judicio, et veritate illum pascant, et regant. Vallis. 1593. Trid. Sess. 6. c. 4

1046 Ut vero quae hac de re sanctae, atque utiliter à majoribus nostris praescripta sunt, nullatenus praetermittantur, eosdem commonemus ad personalem in sua quemque familia residentiam obligari. Quod si christiana caritas, urgens necessitas, et evidens reipublicae utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent, decernimus has legitimas absentiae causas per Superiores respective in scriptis esse probandas. Interea vero discessuri meminerint, ita ovibus suis providendum esse, ut, quantum fieri poterit, ex eorum absentia nullum damnum, incommodum nullum accipiant. Ex eisdem.

1047 Quoniam vero qui aliquantisper tantum absunt, non videntur abesse, cum statim reversuri sint, decernimus illud absentiae spatium, extra praedictas causas, non debere unam, aut alteram hebdomadam excedere: ac praeterea rationem haberi, ut id aeque ex causa fiat, et sine ullo subditorum detrimento. Quod an ita sit, Superiores, et abscedentes pro sua conscientia videbunt, bene attendentes, quia oculis Dei, cujus opus non fraudolenter agere suo periculo tenentur, nuda omnia, et aperta sunt. Ex eisdem.

1048 Si quis autem contra hujus decreti dispositionem abfuerit, praeter poenas adversus non residentes jure canonico praescriptas, statuimus officio suspendendum esse, vel etiam Superioris judicio privandum. Ex eisdem.

1049 Quia vero Guardiani nonnulli sunt, qui sui officii immemores, quotidie de conventibus egrediuntur, atque a mane ad noctem per civitates, et loca, non sine magna Fratrum, et saecularium offensione vagantur, quasi ad propria commoda, et non pro communi utilitate electi sint: statuimus, circumcelliones hujusmodi, veluti profugos, et regularis vitae osores, non solum officio privandos, sed gravioribus etiam, et condignis poenis pro evagationis modo puniendos esse. Ibidem.

Fratres vero, qui sunt Subditi, recordentur, quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates; unde firmiter praecipio eis, ut obediant suis Ministris, etc. Et ubicumque sunt Fratres, qui scirent, et cognoscerent se non posse regulam spiritualiter observare, ad suos Ministros debeant, et possint recurrere.

§. V.

De humili, et religiosa Fratrum subjectione.

Vallis. 1593. Tolet. 1606. Salm. c. 1.

1050 Deo cara, et amica saluti Obedientia, de qua et scripturae proclamant, *Obedite Praepositis vestris*. Cui autem exhibetur obedientia, et reverentia debetur. Sed obedientia nostra ad perfectae abnegationis gradum nos erigit, nullum in mundo sive locum, sive jus proprium, quo restringatur habens, ac sola respuens, quae animae, et regulae contraria sunt.

Salm. c. 7. Neap. c. 39. Tolet. 1638. Vallis. 1670. Pius V. *Pastoralis*. Gregor. XIII. *Consuevit*. Paulus V. et Urb. VIII. *Admonemur*. Bened. XIII. *Universalis*. Benedict. XIV. *Sacrosancti*.

1051 Hinc praeter Superiorum voluntatem nemo de officiis, dignitatibus, gratiis, privilegiis solicitus sit; vel pro eisdem consequendis extra Ordinem recurrere audeat. Superioribus autem nefas sit extraneorum favores respicere, vel eorum intuitu gratias impertiri, poenas remittere, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, praelaturas concedere. Cujus rei causa denuntiantur constitutiones apostolicae contra ejusmodi recursus, et favorum admissiones, ac respectus editae; jubenturque Superiores, ut contra eos, quos favores hujusmodi per se, vel per alios procurasse, vel procurari fecisse legitime constiterit, debitas poenas exequantur: quod si neglexerint, eisdem ipsi poenis obnoxii sint, quibus delinquentes puniendi erant.

Rom. 1700.

1052 Duratio officiorum, quae fiunt per literas patentes, et institutiones Praelatorum Generalium, aut Provincialium, licet alias aliquod determinatum habeant tempus ad gaudendum praerogativis exercentibus talia officia concessis; pariterque obedientiarum, et facultatum ab eis concessarum, omnino sub arbitrio, potestate, et dispositione eorumdem Praelatorum pro tempore maneat: unde in ejusmodi literis apponatur clausula durationis ad beneplacitum, et, ubi non apponatur, censeatur apposita.

Ibidem.

1053 Si quis autem obtentis patentibus, earum a Sede Apostolica confirmationem, etiam in forma specifica extorserit, non exprimendo in expositione, quod durent ad beneplacitum Superioris Generalis, vel Provincialis pro tempore; literae apostolicae intelligantur tantum corroborativae institutionis, vel concessionis jam factae, non autem impeditivae amotionis; cum ex hoc capite subreptitiae forent. Circa quae iterum indicantur constitutiones Leonis X diei 8 Octobris 1515; et diei 8 Januarii 1518, et Clementis VII diei 11 et 22 Martii 1525.

Bened. XIII. *Universalis*.

1054 Compositis in capitulo, vel congregatione provinciali fami-

liis, et conventuum destinatione facta, teneantur Fratres, etiam sub poena carceris formalis arbitrio Provincialis Ministri, ad conventus sibi assignatos pergere, ibique commorari, nisi causa legitima excusentur a Definitorio probanda. Qui autem extra capitulum, vel congregationem Vallis. 1593.
petitione, et instantia sua licentiam obtinuerit mutandi conventuale domicilium, omnibus Sacerdotibus inferior loco erit, ac per tempus Provinciali arbitrarium voce activa, et passiva carebit.

1055 Qui vero personarum extra Ordinem favorem procuraverint, Bened. Sup.
vel etiam sponte oblatum admiserint ad extorquendas a Superioribus facultates vagandi, vel de uno in alium conventum transeundi, poena carceris formalis Superiorum arbitrio puniri debeant.

1056 Qui Praelato alicui insultaverit, vel improperii, aut contu- Salm. c. 7.
meliae verba in eum dixerit, in communitate disciplinam subeat; flexis Rom. 1575. Vallis. Sup.
genibus pane, et aqua jejunet, omnique suffragiorum jure biennio careat. Rom. 1625.

1057 Qui Praelato suo in culpa, vel mensa, facultate prius ab eo Salm. Vallis.
non impetrata, responderit, vel protestationes in scriptis ausu temera- Sup. Rom. 1625.
rio offerre praesumpserit, suffragiorum jure biennio careat; et cui haec poena non competit, alia puniatur Provincialis arbitrio.

1058 Qui poenitentiam a Superiore locali sibi impositam, et in- Vallis. Sup.
junctam agere, vel subire renuat, de Discretorum consilio, et assensu, etiam trina monitione non praemissa, carceri mancipetur, prout opportunius videbitur.

1059 Qui Superiori Provinciali, aut Locali non obediendo rebel- Ibidem.
laverit, omni suffragiorum jure triennio careat: sique contumaciter fecerit, contumaciae poenas alibi sancitas pendat.

1060 Qui inventus fuerit rebellis, aut inobediens suo Guardiano, Rom. 1615.
et in communitate, vel extra illam verba contumeliosa in eum dixerit, statim in carcerem detur, donec factus certior Minister de remedio opportuno provideat.

1061 Ab iis, quae per Praelatos Ordinis acta sunt, et decreta, ad Aquil. 1579.
tribunalia saecularia quovis praetextu, aut quaesito colore appellare, et Gregor. XIII. *Quoniam nostro.*
ad ea temere confugere nefas. Qui fecerint, eorumque directe, vel indirecte fautores, et consultores ipso facto in excommunicationem incidunt Sanctae Sedi reservatam: suffragiorum jure, et officiis quae obtinuerint, privantur: ad eadem, et alia quaecumque perpetuo inhabiles sunt. Superiores, qui in his exequendis poenis negligentes fuerint, Rom. 1603.
actuum legitimorum, officiique privatione puniantur.

1062 Qui autem praetextu injustitiae sibi factae ad Advocatos, Pro- Salm. Vallis.
curatores, et Judices saeculares, vel quomodocumque, aut qualitercum- Sup.
que ad saeculare tribunal recurrent, consilii, aut favoris petendi gratia, actibus legitimis privati, gravius etiam puniatur Superioris arbitrio.

1063 Qui vero ad locorum Ordinarios eisdem de causis recursum Pius V. *Et si Mendicantium.*
habuerit, graviter Superiorum arbitrio puniri possit, et debeat; ut apostolica sanctione cautum est.

1064 Qui per se, vel per alium Generalium, Provincialium, aut Salm. c. 7. Vallis. 1565. 1593
aliarum etiam extra Ordinem notabilium personarum literas, aut sigilla

falsificaverit, ipso facto excommunicationem incurrat; et, si de eo legitime constiterit, detur in carcerem, neque liberetur sine speciali Generalis facultate; atque ad omnia Ordinis officia perpetuo inhabilis sit.

Salm. Sup. 1065 Praedictorum literas qui malitiose per se, vel per alium destruxerit, impedierit, retinuerit, aperuerit, vel quomodolibet interceperit, si legitime constiterit, ipso facto actibus legitimis careat; et, cui haec poena non convenit, probationis caputium deferat: idque intelligatur de literis tam ab eis, quam ad eos scriptis, deque illis etiam, quae ad eorum Secretarios pertinent. Eisdem poenis obnoxii sint, qui eorumdem literas sibi missas legere, aut aperire malitiose distulerint. Nec a praedictis poenis relevari possint, nisi ab ipsis Generalibus, vel Provincialibus Praelatis; prout ad eos respective pertinuerit.

Rom. 1615. 1066 Neque Clerici, neque Laici, neque Sacerdotes juvenes, aut studentes, nisi de licentia Guardiani, literas missivas scribant saecularibus, vel etiam Fratribus, nisi tantum Praelatis suis. Qui contra fecerit, disciplina, et jejunio unius diei in pane, et aqua puniatur. Guardianus autem ipso jure facultatem habet legendi literas omnes, quas Frater mittit, aut recipit: exceptis, quas Subditi Superioribus, et Superiores Subditis scribunt. Nullus vero, cujuscumque conditionis sit, literas scribat, nisi in simplici folio, et sine operimento.

Rom. 1603. Rom. 1615.

Salm. c. 10. Vallis. 1593. 1067 Qui pro spirituali regulae observatione aequam, et rationabilem ad Ministros recurrendi causam habent, e loco tamen ejusdem recursus nomine egredi non debeant sine scripta Superiorum facultate: Ministri autem eos benigne recipiant, paterne consolentur, et, si expedire judicaverint, in locis devotis, et spiritualibus collocent.

Caput XI.

REGULA. *Praecipio firmiter Fratribus universis, ne habeant suspecta consortia, vel consilia mulierum; et ne ingrediantur monasteria Monialium, praeter illos, quibus, et cet.*

§. I.

De suspectis consortiis.

Salm. c. 11. 1068 Cum non a malo tantum, sed a mali etiam specie cavendum nobis sit, praecipimus omnibus, et singulis, ut studiose declinent consortia, familiaritates, conversationes, sequestrationes, colloquia mulierum, ac virorum etiam, et puerorum, ex quibus mali suspicio esse potest; tametsi sano animo, candidoque, et sana, ac bona mente fiant.

Ex eisdem. 1069 Qui autem de suspectis hujusmodi consortiis notatus fuerit, et paterne monitus non se correxerit, si officium tenuerit, eo suspendatur, vel etiam privetur; neque ad illud restituatur, nisi in Provinciali Capitulo: si autem omni caruerit officio, actuum legitimorum privationem subeat; et, cui haec poena non competit, probationis caputio per bimetsre puniatur.

1070 Eisdem poenis affici debeant Clerici, aliique Fratres juvenes minores annis viginti quinque, qui in aliorum, praeterquam Magistrorum, cellas ingredi praesumpserint, qui in eorumdem Clericorum, aut juvenum cellas intraverint: quique eos, vel saeculares similiter juvenes, et maxime pueros in suas admiserint. Vallis. 1593.

1071 Qui solitus fuerit se a socio sequestrare cum mulieribus, de quibus Praelati judicio merito suspicio esse possit, si canonice monitus, et correctus non se emendaverit, tamquam suspecti consortii reus officiis Ordinis privetur, aut probationis caputio per trimestre puniatur. Et si iterato punitus, duobus testibus fide dignis de sequestratione ejusmodi convincatur, de Discretorum consilio arctetur ad veritatem dicendam. Quod si unus fide dignus testis dicat adversus eum de sequestratione ipsa, et alius de lapsu carnis, arctetur gravius in domo disciplinae. Salm. Sup.

1072 Qui ore proprio, aut legitimis testibus convictus fuerit de ingressu in suspectam domum, ab eo loco amoveatur, ac perpetuo exulet, et amplius puniatur Superiorum arbitrio, personarum, locorum, ac temporum habita ratione. Quod si negaverit, graviter arctetur, et contra eum procedatur juxta Ordinis statuta. Vallis Sup.

1073 Publicae, sanctaeque honestatis studiosius servandae gratia, qui in domo saecularium sacras confessiones audierint, aut alia negotia tractaverint, nunquam a sociis ita sequestrentur, quin alter alterum intueri possit. Salm. Sup.

1074 In aediculas, sive hospitiola pro Confessariis Monialium designata mulieres nullo praetextu admittantur. Qui admisesint, addicantur poenis contra admittentes illas in conventus, et loca Regularium Pii V constitutione, et Ordinis lege sancitis. Vallis. Sup.

§. II.

De accessu ad Monasteria Monialium.

1075 Sanctimonialium nostrarum saluti, honestatique paternae solicitudinis studio prospicientes, tum earum regulas, et peculiares cujusque monasterii constitutiones, quae generalibus statutis ab Ordine editis non adversentur; tum ipsa Ordinis statuta ad Moniales pertinentia ab omnibus tam Superioribus, quam subditis respective servari volumus, et mandamuss. Vallis. 1593. Rom. 1664.

1076 Ad Monialium monasteria quaecumque Fratrum nemini, quicumque sit, quovis praetextu accedere, et Moniales alloqui liceat, nisi impetrata prius scripta facultate, aut publici muneris obeundi gratia; tumque scripto Superioris jussu, missuve. Qui contra fecerit, utriusque vocis, et officiorum privationem subeat, et gravius etiam puniatur Superiorum arbitrio. Salm. c. 11. Vallis. Sup. Rom. Sup. S.C. 7. Maji. 1590 et 20. Nov. 1623.

1077 Quibus autem accedere, et cum Monialibus loqui per facultates licuerit, facultates ipsas assignent Confessario ordinario monasterii, qui penes se retinere debet; eoque praesente, simulque illis, quas au- Vallis. Sup. S.C. 20. nov. Sup.

ditrices vocant, cum eis tantum loquantur, cum quibus loqui concessum fuerit.

Vallis. Sup. 1078 Qui praedicationis gratia, aut celebratum Superioris jussu, missuve, ad monasteria accesserint, iis cum Monialibus loqui sub eisdem poenis ne liceat. Si quid vero aut mercedis, aut laboris ratione eis praestandum sit, illud ad universum conventum communi nomine monasterii Praefecta transmittat.

Vallis. 1565. 1593. 1079 Superiores ipsi ad Monialium monasteria non accedent, nisi pro exequendis muneribus sibi ex earum regula, mandatis apostolicis, et constitutionibus Ordinis incumbentibus; aut nisi pro communi earum commodo, spiritualique profectu ab Abbatissis de Discretarum consilio vocentur. Contra qui fecerit, suspendatur officio, vel etiam privetur.

Vallis. 1593. 1080 Sub ejusdem privationis poena ne eisdem liceat in aediculis, quae pro confessionibus, et visitationibus destinatae sunt, vel alibi apud Moniales comedere, nisi cum generalem earum visitationem obierint.

Vallis. 1365. 1081 Eadem sub poena nullo modo Fratribus suis licentiam tribuant accedendi ad monasteria Monialium, easque alloquendi, nisi talis urgeat causa, quod sine earum detrimento denegari nequeat.

Salm. c. 11. Rom. 1571. 1082 Monialium Confessariis, eorumque sociis, quo tempore generales earum confessiones audierint, exceptis, ceteris quibuscumque apud eas, ut supra, comedere perpetuo interdictum sit. Qui hoc in genere delinquerint, Confessarii officio priventur: alii suffragiorum jure careant, atque etiam carceribus puniantur Superiorum arbitrio.

Vallis. 1593. 1083 Pernoctare autem in eisdem domunculis, quae ad audiendas confessiones, visitationesque obeundas monasteriis contiguae sunt, neque Superioribus ipsis: neque aliis quibuslibet quovis casu, vel praetextu liceat. Si fecerint, Superiores officio priventur: reliqui suffragiorum amissione, et carceribus puniantur, vel gravius etiam, Superiorum arbitrio, et personarum habita ratione.

Neap. c. 22. Vallis. Sup. 1084 Ad collocutionum loca, quae parlatoria dicuntur, nemini omnino aut Monialem, aut etiam puellam ex iis, quae educationis causa in monasteriis nostris Superiorum concessu degunt, artem musicam aut cantu, aut instrumento docendi causa ullatenus accedere liceat: nec vero accedenti licentia detur.

§. III.

De Monialium Confessariis.

Salm. c. 11. Rom. 1587. Vallis. 1593. Tolet. 1606. 1085 Confessarii Monialium tum ordinarii, tum qui ex Sacra Tridentina Synodo extra Ordinem dantur, communi Patrum consilio, et consensu in Provincialibus Capitulis, et Congregationibus instituantur, qui ad quinquagesimum aetatis annum appropinquent, vel quadragesimum, et in religione vigesimum quintum omnino excedant, eruditione, vitae innocentia, et moribus castissimis probati: eisque socii assignentur, quoad fieri possit, aetate, ac sanctitate pares.

1086 Instituti, nisi obtenta prius ab Ordinario loci approbatione, Monialium confessiones non excipiant. *Gregor. XV. Inscrutabili.*

1087 Ordinarii in omni Provinciali Capitulo, vel Congregatione per se quidem praesentes, absentes vero per literas renuntiare debeant: quam renuntiationem Patribus liberum sit admittere, vel eos, prout magis expedire videbitur, in officio confirmare. *Vallis. Sup.*

1088 Neque vero ultra triennium in eodem conventu durare possunt, nec denuo institui, nisi triennio vacaverint. Socii similiter nullatenus ultra tres annos continuare possint in servitio unius monasterii, quemadmodum ipsi Confessarii, habito etiam Sacrae Congregationis Episcoporum, et Regularium beneplacito. *Rom. 1651. Rom. 1676.*

1089 Si socium infirmari contigerit, Confessarius statim Provincialem admoneat: atque interea Guardianus alterum etiam Sacerdotem, si Laicus defuerit, dictis qualitatibus, quoad fieri potest, similem ei socium assignet. *Vallis. Sup.*

1090 Confessarii, et Socii nihil a Monialibus privato nomine dono accipiant. Quae vero ad victum, et vestitum necessaria sunt, ubi sit consuetudo, monasteria provideant, prout aequitatis ratio postulare videtur. Sicubi vero loco victus, et vestitus congrua pecuniaria eleemosyna praestetur, eo tota et totaliter apud Syndicum Apostolicum deponi, et cum aliis ejusmodi eleemosinis incorporari, et confundi debeat. Superiores autem eisdem necessaria praeberi curent, non tantum communi, qua ad omnes subditos tenentur, sed etiam speciali quadam pia ratione ob eorum graves, et continuos labores. *Salm. Vallis. Sup. Dec. Super. Gen. 19. Sept. 1679. Victor. 1694.*

1091 Ad aediculas pro se destinatas neminem ducant, vel admittant, nisi scriptam, ac legitimam facultatem attulerit; quam diligenter inspiciant, ne incaute hac in re delinquant. *Vallis. Sup.*

1092 In monasteriorum regimine, aut in electionibus quibusvis nullatenus se intromittant. *Salm. Vallis. Sup.*

1093 Guardiano ejus familiae, cui adscripti sunt, exceptis quae ad eorum spectant officium, in reliquis omnibus sint subjecti: neque sine ejus concessu per civitates, et loca eisdem ire liceat. *Ex eisdem.*

1094 Monialium confessiones, quoties requisiti fuerint, audiant; tum vero maxime, quando ex regula, vel ex concilio confiteri debent. Qui de opposito convictus fuerit, officio privetur. *Rom. 1571.*

1095 Quod de confessariis extraordinariis bis, aut ter in anno exhibendis Tridentina Synodus praecepit, Provinciales inviolate servent. Neque vero semper ex Ordine nostro, sed etiam e Clero saeculari, aut alio Ordine regulari Monialibus offerant. Monialibus autem ut omnes extraordinariis confiteri velint, consulimus; at non item praecipimus. Ceterum si quae noluerint, eidem tamen se humiliter sistant, ad ejusque pedes brevi facta mora, benedictione accepta redeant. *Trid. Sess. 25. cap. 10. Rom. Sup. Vallis. Sup. Ben. XIV. Pastoralis. Vallis. Sup.*

1096 Quo autem tempore extraordinarii ministerio suo funguntur, eo accedere Ordinariis ne liceat. Si fecerint, suspendantur officio, vel etiam priventur superioris arbitrio, qui pro legis implemento advigilet, et non parentes meritis poenis coerceat. *Vallis. Sup. Bened. Sup.*

Salm. et Vallis. Sup. Bened. Sup. Salm. Sup. Bened. Sup.

1097 Siqua Monialis in articulo mortis constituta, vel adeo graviter laborans, ut mortis periculum timeatur, extraordinarium petierit, servatis servandis, ei concedatur. Extra id tempus omnes proprio sibi assignato Confessori confiteri debeant. Attamen siqua fuerit, quae ordinario Ministro confiteri ita obfirmate renuat, ut ejus reluctantia vinci nequeat, ad ejus animi sublevandam debilitatem superiores ex approbatis ab ordinario alium designent, qui illius confessiones excipiat. Si etiam ad majorem animi sui quietem quempiam extraordinarium Confessarium aliquando expetat, nisi aliud obstet, ejusdem precibus obsecundare non graventur.

Bened. Sup.

1098 Extraordinarii quicumque sive generaliter toti communitati, sive peculiariter uni, aut alteri personae in monasterio degenti concessi, postquam officium suum impleverint, sub poenis contra accedentes ad Monialium monasteria statutis, ad idem Monasterium ulterius accedere, aut ullius generis commercium intra ipsum prosequi, et favore, etiam spiritualis causae aut necessitatis obtentu non praesumant.

Salm. Vallis. Sup.

1099 Nullus Fratrum sive nostri, sive alterius Ordinis monialium confessiones audire possit sine legitima Generalis, aut Provincialis scripta facultate. Superiores vero pro audiendis alterius Ordinis Monialibus facultatem non concedant, nisi urgenti de causa Patrum judicio probata.

§. IV.

De Abbatissa, aliisque Monialium Officiis.

Trid. Sess. 25. c. 7. Vallis. 1593.

1100 Monasterii Praefecta, sive Abbatissa sive alio quovis nomine nuncupetur, non minor annis quadraginta eligatur, et quae annis octo post emissam professionem laudabiliter vixerit. Si qualitatibus his instructa desit, ex alio Ordinis monasterio, praevia necessaria facultate, eligi possit. Quod si hoc ipsum electionis Praesidi incommodum videbitur, ex iis, quae in eodem monasterio annum trigesimum excesserint, et quinque saltem annis post professionem recte vixerint, accedente superioris consensu eligi poterit.

Gregor. XV. *Inscrutabili.* Trid. Vallis. Sup.

1101 De electionis tempore praemoneri debeat Episcopus, ut, si velit, per se, vel per alium interesse possit. Qui autem electioni praefuerit, Monasterii septa hac de causa ne ingrediatur, sed ad crates, duobus aliis probatis viris sibi assistentibus, singularum vota excipiat.

Ex eisdem.

1102 Vota secreta esse debent sic, ut eligentium nomina nunquam publicentur. Electio aliter facta nulla sit. Suffragia vero non per schedulas, sed pro veteri, et probata Religionis consuetudine oretenus dentur: et, cui Capituli Monialium major pars accesserit, rite, et canonice electa censeatur.

Rom. 1612. Vallis. Sup.

1103 In electionibus ejusmodi votum non habeant ante annos quatuor a professione. In aliis autem electionibus Professae omnes, praeter Conversas, suffragio gaudeant.

Ibidem.

1104 Ubi plures Sorores germanae sint, si earum una monasterio

praesit, reliquae neque Vicariae, neque Discretae, neque Janitrices, neque Scribae, aut Cellerariae esse possint.

1105 Monialium Praefectae annuales, aut biennales sint, pro cujusque monasterii probata consuetudine: triennium autem nullo modo excedant, sub privationis officii poena Superioribus, si secus fieri permiserint, incurrenda. Peracto autem triennio ad illud, sive aliud quodcumque superioritatis officium, nisi etiam triennio vacaverint, eligi non possint. (Vallis. Sup. Gregor. XIII. *Exposcit.* Sixtus V. *Et comm. cura.* Idem *Quamquam nos nuper.*)

1106 Quoniam experientia docuit, quod aerumnosa, et periculosa sit aliquarum Matrum vocis activae, et passivae renuntiatio in electionibus Abbatissarum, et Officialium; prohibemus, ne hujusmodi renuntiatio, et abdicatio admittatur. (Rom. 1587)

1107 Ut monasteria debite regantur, Abbatissae quotannis statuto tempore in manus Superioris officium dimittere debeant non verbo solum, sed facto, et re ipsa, ita ut, si necessitas, vel monasterii reformatio exigat, dimissionem ipsam Superior admittere debeat, cum libera facultate praecipiendi Monialibus, ut in alterius electionem intendant. (Leo. X. *Cum sicut accepimus.* Innocent. XI. *Exponi nobis.*)

1108 Abbatissa ut est omnibus praeposita, sic omnibus probitatis, et sanctitatis exemplo sit; communem cum aliis vitam servet; divina officia prae omnibus frequentet; Sorores omnes ut omnium communis mater aeque diligat; earum necessitates, aegrotantium maxime, quas crebro invisere, pieque consolari debet, diligenter exquirat, et singulis de communibus Monasterii bonis provideri curet: singularum cellas frequenter inspiciat, et quae in eis vana, superflua, et paupertati, honestatique minus convenientia viderit, omnino auferat: communes officinas saepe adeat; et si quid in eis noverit emendatione dignum, prudenter emendet: peccantes pro culpae qualitate corripiat: pacem inter sorores perpetuo tueatur, et foveat. (Vallis. Sup.)

1109 Collocutionum loca, quae parlatoria dicuntur, quotidie invisat, providens, ut intus, et foris semper clausa sint, nec ulli aperiantur, nisi concessu suo, suaque personarum, et causae cognitione: quare facultates antea videat, et omnia, quae hac de re sancte praescripta sunt, servanda curet. Diebus autem festis in eis colloquia ne permittat, nisi ex urgente, et probata causa; tumque ut brevibus agatur omnino efficiat. (Ex eisdem.)

1110 Singulis diebus mane, et vespere clausurae ostia diligenter inspiciat, eorumque clavem alteram noctu apud se tuto asservet: nunquam vero nisi necessariam ob causam aperiri, vel ad ea quavis ratione colloquia fieri permittat. (Ex eisdem.)

1111 Post Abbatissae electionem cetera etiam officia prudenti gubernio convenientia juxta laudabilem Monasteriorum consuetudinem distribuantur. Vicaria in primis eligatur de gravioribus, et prudentioribus, aetatis competentis, quae communibus quibusque functionibus interesse, et absente Abbatissa praesidere debeat, providens, ut sancta regula, et constitutiones in omnibus serventur. (Ultram. Rom. 1639.)

1112 Clausurae ostiis praeficiantur probatissimae vitae Sorores, quarum una saltem, eaque prima de antiquioribus sit. Singulae vero illo- (Vallis. Sup.)

rum curam perpetuo habeant; eaque, nisi urgentibus de causis, tumque Monasterii Praefecta sciente, et jubente, non aperiant.

Ex eisdem. 1113 Quae valetudinario praefuerint, aegrotantibus eo charitatis studio serviant, quo sibi serviri vellent. Sed et aliae Sorores infirmas visitent, solentur, juvent, prout charitas, et pietas postnlant. Negligentes autem puniantur arbitrio Praefectae pro negligentiae modo.

Rom. 1571. 1114 Moniales Conversae eligi non possint, nisi ad coquinam, et alia id genus officia, quae servilia sunt, et nullius dignitatis.

§. V.

De Monialium Novitiatu, et Professione.

Trid. Sess. 25. c. 17. Vallis. 1593. 1115 Siqua puella sanctae religionis habitum suscipere voluerit, admoneatur Episcopus, ut ejus jussu explorata virginis voluntate, si nihil canonicum obstiterit, monialibus capitulariter congregatis superioris consensu rite proponi possit: quae si secreto scrutinio duas ex tribus partibus suffragiorum tulerit, Religioni adscribatur.

Vallis. Sup. 1116 Adscripta mox inanes mundi delicias respuat, vana spettacula fugiat, orationi vacet, sacris lectionibus, et studiis occupetur. Quod si monasterium, cui animum addixit, ingredi maluerit, id sane ut opportunum consulimus, dummodo Religionis habitum infra menses quatuor susceptura sit.

S.C.E. et R. 23. Maji 1659. Vallis. Sup. S.C. 9. Oct. 1680. 1117 Eodem vero sacro habitu ne induatur, nisi aetatem compleverit annorum quindecim, nisi Confirmationis Sacramentum antea susceperit, ac nisi diebus decem spiritualium exercitiorum praeparationem adhibuerit.

Vallis. Sup. 1118 Pridie ejus diei, qua Religionis habitum susceptura est, sacra peccatorum confessione Monialium Confessario facta, sequenti mane Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum percipiat. Tum a Superiore, vel ab eo, cui Superior commiserit, benedicantur indumenta, ac cetera serventur ea formula, quae hac de re usu recepta, ac majorum auctoritate probata est.

Ibidem. 1119 Habitu suscepto, puella alicujus Sanctae nomine vocetur. Ejus autem functionis gratia nemini monasterii septa ingredi liceat, neque instrumenta musica adhibere, praeter organum, quod intus ab una Monialium pulsari permittimus. Tumultus autem, curiosi apparatus, et inania quaeque prorsus vitentur.

Trid. Sess. 25. c. 16. Vallis. Sup. 1120 Probationis tempore praeter victum, et vestitum, sub anathematis poena dantibus, et recipientibus proposita, nihil ex puellae bonis monasterio tribuatur. Nulla quoque renuntiatio, vel obligatio, etiam cum juramento, vel in favorem causae piae antea facta valeat, nisi Episcopi concessu intra duos menses proximos ante professionem fiat: neque alias intelligatur effectum sortiri, nisi secuta professione: aliter vero facta irrita sit, et nullius effectus.

Vallis. Sup. 1121 Ne autem statuto professionis tempore difficultate aliqua mona-

sterium laboret ea consequendi, quae ad puellae sustentationem ex majorum praescripto dotis nomine praestanda sunt, consulto decernimus, ne cuiquam Religionis habitus concedatur, nisi prius, quae dotis et sustentationis nomine debentur, apud aliquem Superioris concessu per Moniales communi consilio electum sub instrumento rite confecto reipsa deponantur; ut secuta professione libere, et sine mora exigi possint.

1122 Ad professionem nec quae sextodecimo anno major non sit, nec quae minore tempore, quam per annum in probatione post susceptum habitum steterit, admitti possit. Nec vero admitti ulla debet, nisi antea per mensem a monasterii Praefecta monito Episcopo pro exploranda Novitiae idoneitate, et voluntate. Quia vero finito Novitiatus tempore Novitiae si habiles inventae, ad professionem admitti, si secus dimitti debent; propterea, si Episcopus, ut supra, requisitus intra quindecim dies examen hujusmodi neglexerit, vel sine juxta causa Superiori manifesta distulerit, si aliud non obstet, eidem Superiori liberum sit Novitiam ad professionem admittere. Trid. Sup. Vallis. Sup. Pius V. Etsi Mendicantium.

1123 Prius tamen pro admissione ipsa Monialium vota ballottatione, aut scrutinio secreto per Superiorem exquirenda sunt: et si duas ex tribus partibus calculorum Novitia tulerit, statuta die poenitentiae Sacramento, et Dominici Corporis perceptione sancte praeparata, servatis, quae in formula desuper edita continentur, coram eo, qui ad haec specialiter delectus fuerit, in manibus Praefectae professionem emittet. Vallis. Sup.

1124 Qua autem die puella aut Religionis habitum susceperit, aut professionem solemniter emiserit, per eam, quae Cancellariae fungitur officio, memoria fiat in libro ad id parato, nomine, cognomine, patria, aetateque ejus diligenter adnotatis, puellae ipsius, si scribere sciat, adhibita subscriptione, atque etiam monasterii Praefectae, quae de his omnibus Superiorem opportune admoneat, ut ejus jussu ea ipsa in librum referantur ad usum hujusmodi destinatum, et in provinciali archivio perpetuo servandum. Vallis. ibid.

§. VI.

De Monialium obedientia, paupertate, honestate.

1125 Monasterii Praefectae, atque etiam Vicariae obediant omnes. In obeundis muneribus nulla sit, quae renuat. Quae renuerit, violatae obedientiae afficiatur poena arbitrio Abbatissae, quae etiam Superiorem admoneat, si expedire viderit. Contumax carcere mulctetur. Vallis 1595.

1126 Si Monasterium aliquod adeo perfrictae frontis fuerit, ut spreta Superiorum auctoritate, ruptoque sanctae obedientiae vinculo in contumacia persistat, aut ad Principes, vel Magistratus, sive ad quodvis externum tribunal pro auxilio, favore, consilio contra Ordinis jurisdictionem, et libertatem confugerit; anathematis vinculo ex apostolica sanctione innodatum, servatis servandis, ab Ordinis cura quamprimum badicari debeat: idque omnes, ad quos pertinet, servare teneantur, Ex eisdem. Gregor. XIII. Quoniam.

sub poena suspensionis, aliaque graviori Superiorum arbitrio infligenda.

Vallis. Sup. Trid. Sess. 25 c. 2. Rom. 1571. 1127 Communis vitae rationem in labore, victu, vestitu aeque servent omnes. Nulla sit, quae denarios extra communem eleemosynarum capsulam, vel in ea item ut proprios habeat, vel quidquam aliud ut proprium possideat. Nulli, nisi concessu Abbatissae quidquam emere, vel vendere liceat. Quae secus fecerit, proprietatis rea censeatur, et pro delicti qualitate puniatur, quaecunque sit.

Ex eisdem. 1128 Pecunia omnis undecumque oblata, livellorum item, et legatorum, et quae ex laboribus in dies acquiritur, monasterii Praefectae tradi, et in communi capsula servari debeat.

Ex eisdem. 1129 Ex iis autem, aliisque monasterii bonis Praefecta omnibus quidem aeque, ac discrete providere studeat, tum ei potissimum, cujus gratia quidquam quavis ratione oblatum fuerit. Quod si neglexerit, Superioris judicio, arbitrioque coerceatur; vel etiam, si demeruerit, suspendatur officio, vel privetur.

Ex eisdem. 1130 Communis vero eleemosynarum capsula, tuto loco posita, duabus, iisque diversis clavibus semper clausa sit: quarum unam Praefecta, alteram una ex Discretis per Capitulum eligenda servet. Neque aperiri, vel pecunia inde extrahi possit, nisi necessariam ob causam communi matrum judicio probatam. Liceat tamen Praefectae de matrum consilio paucos nummos apud aliquam ex sororibus communi earum judicio delectam asservare, ut quotidianis necessariis usibus facilius provideri possit.

Ex eisdem. 1131 De omnibus tum acceptis, tum expensis Praefecta saepe in capitulo Monialium, et bis, aut saltem semel in anno Matribus Discretis, ac Superiori rationem reddat, graviter ejusdem Superioris arbitrio punienda, si neglexerit.

Ex eisdem. 1132 Decretis Apostolicis de vetita munerum largitione omnes, et singulae pareant. Quae deliquerit, poenis teneatur decretis eisdem contentis.

Ex eisdem. 1133 Quo accuratione studio sacratam Deo virginitatem servent, Moniales externorum quorumcumque virorum, aut mulierum aspectus, colloquia, visitationes caveant: nunquam solae cum ullo, ullave loquantur, nec sine velo ad os usque producto; tum maxime, cum fenestellis apertis colloquendum erit, tametsi cognatione vel quacumque affinitate propinqui fuerint. Quod si fieri posset, ut ab exteris quibusvis nunquam viderentur, id vero multo magis earum decori, honestatique congrueret. Illud autem inviolate omnino servandum, ut collocutionis, aut visitationis gratia ad clausurae ostia nunquam accedant.

Ex eisdem. 1134 Cum Religiosis cujusvis Ordinis, ecclesiasticisque personis, etiam consanguineis nulli Monialium loqui liceat, nisi necessariam facultatem Superiori antea probatam, et Abbatissae probandam attulerint; nisi ejusdem Abbatissae petita prius benedictione; ac nisi praesentibus illis, quae ad audiendum destinatae sunt. Quae omnia etiam cum saecularibus quibusque viris, ac mulieribus, primo, vel secundo gradu consanguineis exceptis, servari volumus. Quae in his deliquerit, quaecumque illa sit, et velo, et accessu ad collocutionum loca privetur, et pro-

delicti gravitate gravius etiam puniatur, Superiorum arbitratu. Illud etiam generatim servandum decernimus, ut Moniales omnes in visitationibus, et colloquiis brevi, quoad fieri potest se expediant; atque ita clara, et intelligibili voce loquantur, ut ab Ascultatricibus facile audiri possint. Tum vero quaevis alia Monialis eo accedere non audeat.

1135 Nulli Monialium, aut etiam puellarum, quae in Monasteriis pro educatione sint, ad collocutionum loca, artis musicae, sive cantu, sive instrumento discendae causa quovis praetextu accessus permittatur, sub poenis Provincialium arbitrio, et Abbatissis et Monialibus, quae contra fecerint, vel fieri permiserint, imponendis. Puellae vero, quae id causae fuerint, aut easdem poenas subeant, aut Monasteriis educantur. Neap. c. 22. Vallis. Sup.

1136 Janitrices, quoties clausurae ostia aperienda fuerint, velo, ut supra, faciem semper contegant. Vallis Sup.

1137 In omni vitae ratione a fastu, luxu, ambitu, ab omni denique vanitate abhorreant: imagines profanas, aut curiosius elaboratas, paupertatique incongruentes respuant: libros de rebus jocosis, aut turpibus, vel quavis ratione suspectos, et musicas cantiones ridicule, aut minus pudice confectas prorsus abjiciant: literas, demptis Superioribus, nec mittant, nec recipiant, nisi Praefecta antea legerit: nullo unquam tempore, etiam animi recreandi causa, Religionis habitum exuant, vel saecularem induant. Ibidem.

§. VII.

De Monialium clausura.

1138 Etsi clausurae custodia ex sacra Tridentina Synodo locorum Ordinariis specialiter demandetur; superiores tamen diligenter curent, ut, ubi violata sit, quamprimum restituatur; et, ubi inviolata est, perpetuo conservetur. Ideo quotannis eam accurate visitent, et quae instauratione, reformatione, emendatione indigere cognoverint, mox instaurari, reformari, emendari curent. Vallis. 1593.

1139 Ostium, fenestram, ullumve foramen, per quod intra, vel extra clausuram prospectus esse possit, fieri, aut facta permanere nullatenus permittant: neque intus inaedificari quidquam concedant, nisi per eos diligenter antea recognitum necessarium esse, aut opportunum judicetur. Ibidem.

1140 Arbores quascumque ad clausurae parietes intus, vel foris adhaerentes, aut nimis propinquas evelli faciant, invocato etiam, si opus fuerit, Episcopi, aut Magistratus saecularis auxilio. Ibidem.

1141 Fenestrae ad colloquendum destinatae, quae parlatoria vocantur, duplici clathra ferrea, palmo saltem invicem distante munitae sint, atque interius laminatae, relictis dumtaxat parvis foraminibus, ita ut vox quidem audiri possit, aspectus vero esse non possit. Quae autem Missis audiendis constituta est, duplici item clathra, palmo, ut supra, distante, munita sit. Ibidem. Vallis. 1565. Rom. 1571. Vallis. 1593.

1142 Fores, sive portarum valvae, per quas ad clausuram fit ingressus, ita omni ex parte compactae sint, et cohaereant, ut inde Ibidem.

aspectus fieri, aut quidquam minimum intromitti non possit. Clausurae porta una sit, aut ad summum altera, quae inferendis rebus ad Monasterii usum necessariis deserviat, duabus clavibus diverso fabrili opere confectis claudenda. Utrique praesint Moniales aetate, et moribus graves, quae earum curam perpetuo habeant, et, nisi urgentibus de causis, et ex jussu Abbatissae nunquam aperiant.

Ibidem.

1143 Fenestella ad sacras confessiones audiendas in ecclesia, ubi commode fieri possit, alioquin alio decente, ac tuto loco construatur, lata cubito uno, alta paulo amplius, clathram habens, ac laminam ferream, vel aeneam, palmo saltem invicem distantes; cum parvis, ut supra, foraminibus; cui etiam tela nigri, aut viridis coloris intus, aut foris apponatur ita cohaerens, ut amoveri non possit.

Ibidem. — Rom. 1615. Vallis. Sup. — Rom. Sup.

1144 Sacrae communionis fenestella sit in pariete ab altero altaris latere, prout opportunius videbitur, paulo oblonga; quae tamen altitudine medium cubitum non excedat, latitudine paulo minor sit; et intus, ac foris duabus claudatur, diversisque clavibus, quarum alteram habeat Confessarius, qui per se ipsum semper aperiat, et claudat; alteram Abbatissa servet, nullique alteri sorori tradat. Praecipitur vero per sanctam obedientiam, et sub excommunicationis latae sententiae paena, tam Abbatissis, aut quovis nomine Monialium Praefectis, quam Confessariis, ut dictam fenestellam non aperiant, neque aperiri permittant, nisi tantum pro sumptione sanctissimae Eucharistiae, pro praedicationibus, pro electionibus Abbatissae, aut pro admittendis ad habitum, vel professionem Novitiis: quibus quidem functionibus expletis, sine mora claudatur.

Vallis. Sup.

1145 Rotae sive turni omnes ex ligno nuceo, aut solidiori fiant; quorum fenestellae cubitum altitudine non excedant, latitudine sint unciarum sexdecim; atque intus, et foris seris, et clavibus occludantur.

Trid. Sess. 25. c. 5. Pius V. *Circa Pastoralis.* Gregor. XIII. *Deo sacris.* Idem. *Ubi gratiae.* Paul V. *Monialium.* Alexand. VII. *Felici.* Bened. XIV. *Pastorale.* Vallis. Sup. Ex eisdem.

1146 Cum ex Sacra Tridentina Synodo, apostolicisque decretis Monasteriorum septa ingredi sub excommunicationis poena nemini omnino liceat, nisi ex scripta Superiorum licentia: qui necessariam ob causam intra admittendi sunt, Superioris judicio, atque auctoritate antea probentur: et ab eo Moniales generalem, aut specialem scripto facultatem habeant.

1147 Superiores autem non nisi probatis personis, et quae bene audiant, licentiam dare debent, atque in casibus tantummodo necessariis. Quibus vero aut per facultates, aut ex officio ingredi licuerit, eos omnes, ac Moniales item admonemus, nonnisi in casibus urgentis necessitatis ingredi, et admitti posse. Qui autem licentiarum ejusmodi praetextu, praeterquam urgentibus de causis ingredi praesumpserint, eo ipso excommunicationis poenam incurrunt, omnibus dignitatibus, beneficiis, et officiis privantur, atque ad ea, et alia quaecumque perpetuo inhabiles fiunt. Eisdem afficiuntur poenis Moniales etiam, quae illos admittere praesumant.

Vallis. Sup.

1148 Licite ingredientes, ad loca, et negotia, propter quae admissi fuerint, recta properent, eaque citissime expediant: quos etiam antiquiores Moniales ad id destinatae semper comitentur. Nec vero quo-

vis praetextu, vel colore eorum cuiquam intra Monasterii septa comedere, aut dormire, neque (Physicis exceptis) ante Solis ortum ingredi, aut post ejus occasum intus permanere liceat. Quae omnia exacte servari Monasterii Praefecta curet.

1149 Quae officia, et negotia per Moniales ipsas commode obiri, et expedire possunt, ne ad ea praestanda externos viros introduci, aut ingredi Praefecta permittat. *Ex eisdem.*

1150 Si qua Monialis marem, aut foeminam etiam cujusvis aetatis sine licentia introduxerit, etiam si inter sacras Virgines adscribenda sit, excommunicetur, privetur velo, et carceris poena, vel gravius etiam puniatur Superioris arbitratu: eisdemque poenis obnoxiae sint Praefecta, Janitrices, et rotis Praepositae, si ad id earum consensus accesserit. *Ex eisdem.*

1151 Clausurae sanctius servandae gratia illud etiam statuitur, ut neque triticum, neque vinum, neque aliae fruges, nec aliud quidquam in Monasteriis, nisi ad eorum usum, et necessitatem asservetur: neque canes, equi, et alia generis ejusmodi animalia etiam ad breve tempus admittantur: neque depositum quidquam ullo praetextu asservetur, sub poenis Superioris arbitrio imponendis. *Ex eisdem.*

1152 Superiores ipsi Generales, et Provinciales ingrediendi facultate sibi ex officio tributa uti non audeant citra meram, et legitimam necessitatem: tum vero probatissimos viros in socios adhibeant, Provinciales quidem duos, Generales quatuor ad summum. Quacumque autem de causa ingrediantur, semper in eorum comitatu Confessarius Monialium sit. *Gregor. XIII. Dubiis. Salm. c. 11. Vallis. Sup. Rom. 1664.*

1153 In Italia vero, et Insulis adjacentibus ingredi non possint, nisi causa visitationis localis, et hoc semel tantum in anno, ita ut quo anno unus Superior visitaverit, alius a visitatione hujusmodi se omnino abstineat. Si visitet Generalis, duos socios Ordinis secum habere possit: si alius a Generali, unum tantum, exclusis omnibus aliis etiam ratione officii. Quod si ob clausuram, vel aliam urgentem causam eodem anno pluries ingredi oportuerit, non aliter faciant, quam cum praesentia Episcopi dioecesani, vel alterius personae ab eo ad id specialiter destinatae. *Alex. VIII. Felici.*

1154 Confessarius, cum ob causam ad ejus officium spectantem ingredi necesse fuerit, superpelliceo cum stola superindutus sit; neque cum aliis intret, quam cum socio per Capitulum, aut Superiorem destinato, sub poena privationis officii, et graviori etiam Superioris arbitrio subeunda. *Vallis. Sup. Salm. et Vallis. Sup.*

1155 Omnes autem, et singuli ita modeste, et graviter se gerant, ut Monialibus sanctitatis exemplo sint; nec unquam ita separentur, quin se mutuo videre, ac videri facile possint; suoque munere celeriter functi sine mora exeant: quibus etiam et Praefecta, et aliae ad id destinatae semper assistant.

1156 Monialibus professis quibuscumque nullo praetextu, aut causa, etiam cujusvis infirmitatis, nisi causae ipsae per Superiores, et locorum Ordinarios antea cognitae probentur, vel nisi ex causa magni *Pius V. Decori.*

incendii, aut repentinae, magnaeque inundationis, extra clausuram egredi unquam liceat, sub excommunicationis reservatae poena, quam egredientes ipsae, atque etiam licentiam dantes, nec non eas comitantes, ac recipientes quicumque incurrunt.

Gregor. XIII. *Deo sacris* 1157 Ex ea item janua, quae pro clausura monasterii est, ad claudendam aliam exteriorem, qua saecularibus ad rotam, crates, vel collocutionum loca aditus patere solet, Monialibus etiam Conversis exire non licet. Regula est enim, quod ea loca, ad quae saeculares impune accedere possunt, extra clausuram censeri debent: quare Moniales ad ea ipsa exire non possunt, etiam quo tempore clausa sunt.

Vallis. Sup. 1158 Novitiis ipsis exire non liceat, nisi quo casu eas propositi poeniteat: tumque in illud, aut quodvis aliud Monasterium etiam ad Religionis habitum admitti amplius non possit absque nova scripta Superiorum facultate. Quod contra fiat, inane sit: et Monasterii Praefecta, aliaeque Moniales, quae consenserint, Superiorum arbitrio graviter puniantur.

Neap. c. 22. S. C. 31. Aug. 1575. 1159 Puellae, quas pro educatione in Monasteriis esse contigerit, quoad clausuram, ad ea omnia, ad quae Moniales teneantur. Quod si fieri posset, ut nullae in Monasteriis nostris essent, multis sane incommodis opportune, ac prudenter prospectum esse videretur.

§. VIII.

De Monialium Choro, sacrisque functionibus.

Vallis. 1593. 1160 Ad divinas laudes, et orationes statis horis in ecclesia celebrandas Sorores omnes die, noctuque conveniant. Abesse, vel discedere ne liceat, nisi publici muneris obeundi ratio excuset, aut necessitas Praefectae judicio probata coegerit.

Ex eisdem. 1161. Dum in choro fuerint, cogitent adesse Jesum Christum Dominum, cui cum timore, ac tremore serviendum est: quare non mente vaga, non vagis oculis, aut indecoro corporis statu, sed attente, pie, ac religiose sacris laudibus incumbant.

Ex eisdem. 1162 Divinum officium alternis vocibus rite compositis clare, ac distincte pronuntient, canantve, pro loci, ac temporis ratione, studiose servatis omnibus, quae hoc de genere sancte praescripta sunt. Nulla privatim, nulla tacite dicat; sed omnes pariter senes cum junioribus laudent nomen Domini. Quae autem quacumque ratione adesse non poterunt, illud ad praescriptum omnino recitent. Quae in his deliquerit, in eam Praefecta pro modo culpae animadvertat.

Neap. c. 22. Vallis. Sup. 1163 In divinis officiis, et Missis canendis, praeter organum, et illud, quod regalum vocant, instrumenta musica nunquam adhiberi liceat. Superiores, qui contra fieri permiserint, suspensionis poenam ipso facto incurrant: Monialis vero, quae contra facere praesumpserit, velo per mensem, et suffragiorum jure triennio careat. Sub eisdem poenis cantu fracto, quem figuratum vocant, musicam fieri districte prohibemus. Invigilent Ministri, ne Moniales de tali cantu doceantur.

Salm. c. 3. Neap. Sup. Alvern. 1563.

1164 In omni sancta oratione se assidue exerceant; tacitaeque orationi, stato tempore, toto castissimi animi sensu quotidie vacent. Vallis. Sup.

1165 Singulis mensibus, vel saepius etiam, pro cujusque pia affectione, aut pro veteri, et probata Religionis, et cujusvis Monasterii consuetudine confessionem peccatorum faciant, et Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant; ut eo se salutari praesidio muniant ad omnes daemonis oppugnationes fortiter superandas. Caveant vero, ne cuiquam, nisi necessariam habenti facultatem confiteri audeant. Trid. Sess. 25. c. 10. Vallis. Sup.

1166 Quidquid vero temporis a divinis officiis, sacrisque, aut aliis necessariis actionibus vacuum fuerit, non in otio, vel in novarum rerum curiositatibus conterant; sed, cum in sortem Domini vocatae sint, in ejus lege die, ac nocte pie meditentur. Vallis. Sup.

§. IX.

De Monialium Capitulo, mensa, labore, vestiario, dormitorio.

1167 Ad locale capitulum pro tuenda, augendaque regulari disciplina a Sanctis Patribus saluberrime institutum sorores omnes monasterii Praefecta capitularis campanae signo, pro loci, ac temporis ratione convocare non omittat. In eo singularum culpas benigne audiat, singulas moneat, reprehendat, arguat, ac debitis poenis misericorditer afficiat, prout ratio suaserit. Omnes, ut memores vocationis suae, quae sancte profitentur, diligenter, et ex animo praestent, pro suo munere studiose cohortetur. Vallis. 1593.

1168 E capitulo refectorium ingressae, stent omnes suo loco, et ordine; benedicant; cibum in silentio capiant; sacram lectionem attente audiant; modum in omnibus servent; ne surgant, nisi necesse sit, tumque impetrata venia; gratiarum actioni similiter adsint. Ex eisdem.

1169 In communi laborum loco sacra lectio frequens habeatur de vita Patrum, de Sanctorum virtutibus, et miraculis, de religiosa perfectione: tum de eisdem sorores sub silentio meditentur, aut etiam pie conferant. Preces aliquas aut communiter, aut tacite dicant, pro defunctis maxime. Ex eisdem.

1170 Omnes vero solicite, ac studiose laborent; nullaque alibi, quam eodem communi loco quidquam operis faciat. In operibus tum accipiendis, tum restituendis nulla, nisi laborum Magistra se ingerat. Ex eisdem.

1171 Laboris pretium omne ab omnibus in commune conferatur: nec ulla sit, quae inde quidquam sibi appropriet. De omnibus autem communi labore acquisitis, quae loco praefuerit, monasterii Praefectae saepe rationem reddat, adhibitis etiam matribus discretis: itaque librum habeat, in quo quidquid ex laboribus ipsis emolumenti capitur, distincte omnino descriptum sit. Ex eisdem.

1172 In quolibet monasterio sit commune vestiarium, in quo Monialium cujusvis generis indumenta serventur: neque eorum quidquam in cellulis, aliove privato loco reponi liceat, quod eo ipso tempore Ex eisdem.

necessarium non sit. Eisdem vero custodiendis, et curandis Moniales ad id idoneas duas, pluresve, prout opus fuerit, Praefecta communi consilio destinet. Aegrotantium tamen vestes, praesertim quavis ratione suspectas, seorsim custodiri, vel etiam, prout opportunius videbitur, apud aegrotas ipsas esse liceat.

Ex eisdem. 1173 In communi loco, quem dormitorium dicunt, Moniales omnes, praeter infirmas, et seniores, quibus alio loco ad id constituto dormire, et commorari liceat, nocte dormitum se recipiant, nisi quandoque necessariam ob causam Superiori probatam alicubi secus expedire videatur. Duas vero in eodem lecto simul cubare nunquam liceat. Quod si necesse aliquando fuerit plures in eadem cellula lectulos esse, tres saltem in ea collocentur, et nunquam duae tantum, nisi sorores germanae sint, in eadem cellula dormire possint.

1174 Haec autem omnia servari Praefecta diligenter curet, et cum peccantibus, pro culpae modo, poenis agat.

§. X.

De Monasteriorum bonis.

Vallis. 1593. 1175 Quia in administrandis rebus publicis, maximeque ad pia loca pertinentibus magna est adhibenda cautio, ac perpetua fides, et integritas requiritur; Monialium nostrarum bona immobilia quaecumque Provinciales diligenter cognoscant, et in inventario in archivio provinciae servando descripta habeant.

Ex eisdem. 1176 Si qua bonorum accessio emptionis, census, legati perpetui, vel ad tempus, sive alio quovis nomine fiat; ea de re Provincialis admoneatur: ipse vero accessionem hujusmodi in idem inventarium referri jubeat.

Ex eisdem. 1177 Bonorum immobilium locationes quaecumque nullatenus fiant absque legitima Superioris auctoritate, ejusque etiam interventu, vel alterius, quem ipse speciali scripta facultate delegaverit: quo casu nonnisi prudentibus, et peritis viris id muneris committet, ne quid contra majorum instituta, et canones fiat. Locationes aliter factae nullae sint. Praefectae vero, et Moniales, quae secus fecerint, vel scienter fieri permiserint, omni officio, et suffragiorum jure priventur.

Ex eisdem. 1178 Omnis pecunia ex dote, redemptione reddit uum, legatis, vel quavis alia ratione monasteriis obveniens, nullis usibus, etiam instaurandae clausurae, Superioribus inconsultis applicari possit, sed ex ea bona stabilia, vel certi redditus, aut census legitimi comparentur.

Ex eisdem. S. C. Conc. 7. Sept. 1614. 1179 Nulla quoque bonorum alienatio, vel distractio sine legitima facultate fiat. Facta nullius sit roboris; et facientes officiis, omnique suffragiorum jure perpetuo priventur.

Vallis. Sup. 1180 Redditus Monialibus quibusdam praeter assignatas dotes sive in perpetuum, sive earum vita durante obvenientes, sicuti monasteriis acquiruntur, et acquisiti esse censentur; sic monasteriis ipsis super eo-

rum exactione actio competit, et competere decernimus. Quare Praefectae, absque alia Monialium cessione, virtute contractuum cum ipsis actorum, monasterii nomine exigendos curent, exactique in Monialium necessitates expendantur, et earum maxime, quarum gratia obvenerint. Hae autem redditus ejusmodi Praefectae quamprimum denuntiare debeant; denuntiatisque, in eorum exactione nullatenus se ingerant. Quae hoc in genere deliquerit, ut proprietaria puniatur.

1181 Eleemosynae item, laborum pretia, et similia, testamento, donatione, vel aliter ad aliquam provenientia, in commune monasterii commodum inferantur. Ex eisdem.

1182 Porro monasteriorum Praefectae, aliique dictorum bonorum administratores, administrationis, nec non accepti, et expensi Superioribus, aut aliis ab eisdem ad id destinatis quotannis rationem reddere teneantur. Ex eisdem.

1183 Ne autem ob malam administrationem monasteriis, ut alias accidit, calamitates eveniant, praecipitur Ministris Provincialibus sub poena privationis officii, et actuum legitimorum in perpetuum, ut, quae de ipsorum bonorum cognitione, inventariis, locationibus, redditibus, aliisque, ut supra, decreta sunt, inviolate serveut. Abbatissae vero, aliaeque administratrices, quae rationem, ut supra, reddere noluerint, statim officiis priventur, et suffragiorum jure perpetuo careant. Salm. 1618.

1184 In quolibet monasterio sit, et servetur praescriptio determinati numeri Monialium cujusque bonis, redditibus, et eleemosynis congrui; prout Tridentina Synodus, Apostolicaeque Sanctiones in omni regulari domo esse, et servari mandant. Trid. Sess. 25, cap. 3. Aquil. 1559. Vallis. Sup.

1185 Nulla recipiatur sine dote ab Episcopo una cum Superiore regulari constituta. Si Superiorum consensu, aut negligentia contra fiat, Superiores ipsi priventur officio, vocemque activam, et passivam amittant: easdemque poenas monasteriorum Praefectae, et Moniales subeant, si earum consensus accesserit. Conversae tamen intra determinatum numerum sine dote recipi possint, cum dotis proventus earum labore, ac ministeriis compensetur. Vallis. Sup.

1186 Monasterii cujusque Protectores, Procuratores, Medici, Conductores, Factores, Exactores, Scriptores, Servitoresque, tam viri, quam mulieres, quos, quasque singula monasteria necessarios habent, Superiori antea probati sint, ejusque consensu deligantur. Ex eisdem.

§. XI.

De Monialium visitatione.

1187 Sanctimonialium nostrarum Monasteria quaecumque per Provinciales Ministros, tamquam Visitatores ordinarios opportunis temporibus visitentur. Quae eos Visitatores recipere noluerint, dimittantur, vel eorum contumacia opportunis juris, et facti modis, et poenis coerceatur. Vallis. 1565, 1593.

Ex eisdem. 1188 Pro interiori Monasterii visitatione superior neque ante solis ortum intret, neque post ejus occasum, vel diutius, quam opus fuerit, intus maneat. Visitationem personalem expleat ad crates, et omnino extra clausuram Monasterii.

Alex. VII. *Felici*. 1189 In Italia, et insulis adjacentibus ex causa visitationis localis semel tantum in anno superiores ingredi possunt, ita ut eo anno, in quo unus visitavit, alius superior a visitatione hujusmodi se omnino abstinere debeat. Item, interiorem clausuram visitare Superior per se ipsum debet, non autem per alium, etiamsi fuerit legitime impeditus: quo casu differatur visitatio in aliud tempus, quo cessaverit impedimentum: et visitationem celeriter, et unica die, debita tamen cum diligentia absolvat. Visitatio quoque personalis per ipsum dumtaxat Superiorem fiat.

Vallis. Sup. 1190 Si praeter ea, quae a nobis constituta sunt ad Monialium nostrarum clausuram quam diligentissime servandam, alia sint in eamdem rem Visitatorum apostolicorum decreta, Provincialium exactissima cura sit, ut, quoad fieri potest, integram, atque absolutam executionem habeant; ea tamen prudenter adhibita cautione, ne quidquam executione approbent, vel admittant, quod contra Religionis privilegia, vel praeterquam per facultates eis licuerit, decretum sit. Quae autem ad morum reformationem, vel regularem disciplinam instaurandam, conservandamque quovis modo spectant, nullatenus exequantur, nisi sua primum auctoritate probaverint.

Ex eisdem. 1191 Magis autem in iis ipsi diligenter invigilent, laborent, visitent, moneant, corrigant, decernant, prout Monialium saluti, sanctitati, et decori necessarium, atque opportunum esse in Domino cognoverint.

CAPUT XII.

REGULA *Quicumque Fratrum divina inspiratione voluerint ire inter saracenos, et alios infideles, petant inde licentiam a suis Ministris Provincialibus. Ministri vero etc.*

§. I.

De sacris Missionibus.

Tolet 1631. 1682. Victor. 1694. 1192 Quia ex Sancto Evangelio, quod specialiter in regula profitemur, Apostolorum exemplo quasi haereditario jure nobis congruit catholicae Fidei propagatio; ut hac etiam in parte instituti nostri teneamus rationem, simulque seraphici Patris mandatum de Fratrum ad infideles mittendorum idoneitate plenius exequamur; et Ordo noster cujus fidei a divina clementia, et Sanctae Sedis benignitate Sacra Palaestinae loca a tot saeculis sunt commissa, et non paucae extra Palaestinam Missiones sunt commendatae, fructuosius valeat animarum salutem in eisdem missionibus, Locisque Sanctis procurare: linguarum, et con-

troversiarum collegia a Capitulis generalibus non semel decreta, et ad mentem Sacrae Congregationis de propaganda fide instituta, in quibus linguae, et controversiae tradi debent ad haereticorum, aliorumque infidelium conversionem magis utiles, et necessariae, ceu quaedam apostolicarum Missionum Seminaria, Praelati Generales Familiae foveant, et regulas pro eisdem editas, et apostolica auctoritate confirmatas servari curent. Clement. IX. *Credi i nobis.* Clem. XI. *Commissi nobis.*

1193 Linguarum Magistri antequam in collegiis erectis, vel erigendis ad legendum destinentur, a Superiore Generali per linguarum peritos examinari debeant. Victor. Sup.

1194 Linguae arabicae, et controversiarum in collegiis de Urbe Lectores, Collegiales item, et Missionum Praefecti, quique certo tempore Sacrae Congregationi propagandae Fidei in Missionibus inservierint, indulta, et praemia consequantur, quae praemissis Collegiorum regulis, litterisque apostolicis eorum muneribus, et laboribus constituta sunt; cum moderatione, quoad Lectores Observantium a Capitulo Mediolanensi 1729 decreta, et a Benedicto XIII specialiter confirmata. Clem. IX. et XI. Sup. Clement. XI. *Iustitiae, et aequitatis.* Bened. XIII. *Exponi nobis.*

§. II.

De Terra Sancta.

1195 De optimo Sanctorum Locorum regimine, quae Christus Dominus, dum inter homines versaretur, sanctis suis gressibus, et pretioso Sanguine dedicare dignatus est, quaeque Religio nostra divina dispositione, et misericordia adhuc obtinet, et diligenter custodit, speciali cura, et studio semper provideatur. Salm. c. 12. Vallis. 1593.

1196 Quam ob rem in primis attendi, servarique debeat statutorum ad Terram Sanctam pertinentium collectio ex variis Ordinis decretis magna ex parte composita, et a Benedicto XIV cum subsecuta ejus moderatione specialiter confirmata. Benedict. XIV. *In supremo.* Idem. *Exponi nobis*

1197 Statuta, quae in quovis Capitulo sub titulo Terrae Sanctae ponuntur, aeque ad utramque Familiam pertinere declaratur, nisi in eorum aliquo restrictio ad Familiam, Nationem, vel provinciam, aut ex textu verborum aliter, absque tergiversatione, intelligendum sit. Victor. 1694.

1198 Fratres in Terra Sancta commorantes, memores instituti, quod sancte profitentur, suae innocentiae, et christianae fidei exempla mundo praebeant splendentes in omni opere bono tamquam luminaria posita super candelabrum, ut luceant omnibus, qui in domo sunt; et boni, videntes sanctam eorum inter gentes conversationem, glorificent Deum; mali vero in iis, quae detrectant de nobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus eos considerantes, et ipsi glorificent Deum, et quem misit Servatorem Jesum Christum, vel saltem obmutescant, ac desinant blasphemare Nomen sanctum ejus. Salm. et Vallis. Sup. Salm. 1618.

1199 Officia divina ea solemnitate, ac pietate celebrari mandamus, quae tam sancta, ac venerabilia loca decet. Oratio mentalis quotidie fiat Rom. 1628. Tolet. 1645.

duabus horis, una immediate post matutinum, quod semper sub media nocte decantari debeat; altera post completorium, ita quidem, ut prius cum assistentia omnium Religiosorum fiat processio in nostris Terrae Sanctae conventibus fieri solita ob indulgentias stationum; deinde quod reliquum fuerit temporis in oratione mentali impendatur.

Ex eisdem. 1200 Qualibet secunda feria solemni festo non impedita, post primam cantetur Missa pro defunctis Fratribus nostris, Terraeque Sanctae benefactoribus: qua completa, si extra ecclesiam haberi processio non possit, in ecclesia ipsa consuetae preces dicantur. Item in feriis secunda, quarta, et sexta fiat disciplina, nisi occurrat officium duplex majus.

Ex eisdem. 1201 Sacerdotes omnes Sanctissimi Salvatoris, Betlheem, aliique de familia Terrae Sanctae per sex continuos menses assistant in Sancto Sepulcro, et passim ingrediantur servato ordine antianitatis, tum ut quisque eo sacratissimo thesauro fruatur; tum etiam ut assidue ibi sint novem, aut decem fratres, majori ex parte Sacerdotes, Laici duo, et Sacrista, ut quotidie pie, solemniterque vacetur divinis officiis, et processionibus, cantentur Missae, et ad unguem impleantur suffragia Regum, et Principum christianorum, ceterorumque benefactorum. Guardiano Sacri Montis Sion injungimus, ut valde invigilet pro honore sanctissimi hujus loci, attento, quod stet in medio tot nationum; unde majorem habet obligationem vivis effectibus ostendendi nos esse catholicos.

Tolet. Sup. 1202 Servetur antiquissima consuetudo, quod unus de conventu Sancti Salvatoris quotidie celebret in pretioso sepulcro Beatae Mariae Virginis; nisi gravissima causa impediat judicio Guardiani.

Rom. 1691. 1203 Privilegium antiquissimum, quod habent Terrae Sanctae Fratres eligendi sibi Confessarium, a quo ab omnibus absolvi possint, ad quae se extendit auctoritas Ministri Generalis, a Guardiano Hierusalem nullo modo restringi quoad passivitatem possit, cum agatur de foro interiori sacramentali, et de salute animarum. Qui vero confessiones audire debet, probet coram Superiore loci, in quo morabitur in Sancta Custodia, idoneitatem suam producendo literas patentes suae institutionis in Confessarium a Superiore Generali, vel a suo Provinciali obtentae.

Rom. 1628. Tolet. Sup. 1204 Idem Guardianus ne permittat fieri mensuras Sanctissimi Sepulcri ex serico, vel auro; neque cruces, sepulcra, calvaria, praesepia, vel quidpiam ex ebeno, ebore, matreperla, cum extraordinaria sculptura, sed tantum cruces parvas, vel mediocres ex terebintho, oliva, malo medico, aliisve arboribus ejusdem loci, quae ob devotionem, non autem ob pretiosa opera aestimentur: taxando interpretibus quidquid recipere debeant in pretium talium rerum, et transgressores rigorose puniendo. Liceat Religiosis facere Agnos Dei compositos ex sanctis locis, sed aliis non permittatur. Guardianus nemini Fratrum concedat aurum, vel argentum ad faciendum Agnos Dei, cruces, aut similia; neque permittat eos inutiliter occupari, maxime ommittendo orationem, ac divina officia.

Ex eisdem. 1205 Quoniam Fratres ex variis nationibus simul in Sanctis Locis Deo famulantes firmiter persistere decet in amore fraternitatis ut si usquam, ibi vel maxime sentiant, et doceant quam bonum, et

jucundum sit habitare Fratres in unum: omnino prohibemus, ne invicem contentiones ineant super Regibus, regnis, regionibus, et gentibus, sed magis secundum regulam sint mites, pacifici, et modesti, mansueti, et humiles, honeste loquentes omnibus, sicut decet. Qui contra fecerit, tamquam pacis subversor severe puniatur.

1206 Qui ad familiam Sanctae Custodiae destinati sunt, Sanctis Rom. 1628.
locis triennio inserviant. Neque vero Guardiano Hierosolymitano quem- Tolet. 1633. 1645.
quam ante expletum triennium dimittere liceat, nisi gravem ob causam, habitoque Discretorum consilio, et assensu.

1207 De Terra Sancta venientes, cum primum ad propria se re- Salm. c. 12.
ceperint, infra quindecim dies barbam deponere debeant sub poena privationis actum legitimorum: et cui haec poena non competit, alia, quae pudorem incutiat, per Ministrum puniatur.

1208 Pueri filii interpetrum, qui Hierusalem, Bethleem, et Na- Tolet. 1645.
zareth monasteriis inserviunt, instruantur in doctrina cristiana, et bonis moribus, et in meridie detur eis moderatum alimentum: sed vespere ad proprias demos coenaturi dimittantur: Id vero fiat quousque novem annos attigerint; deinde relinquantur parentibus suis.

1209 Si aliquis interpres in fideli Terrae Sanctae servitio remane- Tolet. Sup.
rit laesus, infirmus, senex, atque ad inserviendum impotens, vel alias ejusdem servitii causa quovis modo injuste vexatus; compensentur ejus damna, et opportunis auxiliis misericordi animo efficaciter sublevetur. Tum sincera fiat rei descriptio, cum secreta Guardiani, et Discretorii approbatione; ut novi Superiores de uniuscujusque meritis, et demeritis accurate instructi, bonis, et fidis interpretibus nullimode damnum inferant, vel cum illorum jactura immeritos, et impios exaltent.

1210 Cum nulli alterius Ordinis Religioso, Clerico, aut Saeculari Rom. 1628.
Tertiario, vel Peregrino cujuscumque status, qualitatis, vel conditionis, Tolet. Sup.
occasione peregrinationis ad loca sancta, gestare liceat habitum Seraphi- S. C. prop. Fid. 15. Sept. 1655.
cae Religionis nostrae, sed in proprio, aut peregrinorum habitu incedere singuli teneantur: ne, prout alias evenisse constat, Turcis detur occasio avanias, ut vocant, faciendi, non sine gravi dispendio sanctorum locorum, et detrimento aestimationis nostrae; si quis habitum Sacri Ordinis nostri, etiam Tertiarii, in Terra Sancta gestare inventus fuerit, eo spoliari, et, quin aliquid illi a conventu detur, in partes Christianorum mitti debeat. Guardianus, et Discreti, qui contra fecerint, sex mensibus officiis privati sint.

1211 Peregrini religionis causa Hierosolymam pervenientes, beni- Rom. Tolet. Sup.
gne, ut semper fieri consuevit, hospitio recipiantur, eisque in loco ad id designato omnia religiosae charitatis officia praestentur. Hospitii Magister eorum servitio, et satisfactioni invigilet, munditiae studens, et necassaria praeberi curans. Non sint ibi conversationes die, aut nocte; neque cum eis conversentur alii Fratres praeter illum unum, quem ad eorum consolationem, et exemplum Guardianus destinaverit. Nemo autem sit, qui ab eis cruces, coronas, missas, aut similia petat: quod si ipsi sponte sua eleemosynam aliquam sanctae communitati elargiri vo-

luerint, admitti possit, et a Procuratore in libro communium eleemosynarum describi debeat.

1212 Guardianus Hierusalem, et Discreti unum eligant ex doctioribus totius familiae, qui rerum notabilium in dies occurrentium annales scribat: scripti autem pro uberiori cautela aliquoties in Discretorio legantur, et, si opus fuerit, corrigantur; et, antequam publicentur, per authenticum transumptum Guardiani, et Discretorum manu propria subscriptum opportune mittantur Generali Ministro, ut in Capitulo Generali de statuti observatione, et rebus ipsis constet.

Rom. 1587. 1213 Quia qui graviora sustinent negotia, ac manifesta pericula pro Dei gloria, et Religionis utilitate subeunt, aequm est, ut singularibus praerogativis gaudeant, specialibusque subsidiis subleventur; Guardianus Hierusalem ad propria reversus omnibns privilegiis, quibus gaudent qui ministeriatus officio functi sunt, in sua provincia gaudere possit, et debeat.

Rom. 1682. 1214 Ne pia quorumdam affectio erga sanctissima loca alios impediat pari studio eadem lustrare cupientes; eo iterum destinari prohibentur, qui alias ibi commorati fuerint, iis tantum exceptis, qui diutina, ac probatissima servitute sese nedum utiles sanctis locis, sed necessarios praestiterint.

Paulus V. *Coelestis regis.* 1215 Superioribus, et subditis quibuscumque, sub privationis vocis active, et passivae, nec non officiorum, quae obtinent, vel obtinebunt, et inabilitatis ad illa, et alia in posterum consequenda ipso facto incurrendis poenis inhibetur, ne eleemosynas, quae pro sanctis locis a fidelibus erogantur, vel earum partem, quavis de causa in alios usus Urban. VIII. *Ut delecti.* quantumvis pios, et urgentes, ac etiam Ordinis convertant. Excipiuntur causae emendi sanctuaria, quae devotionis titulo donantur, sublevandi peregrinos, neophytos, pauperes, et miserabiles personas, et sustentandi missiones pro catholicae Fidei propagatione factas, vel faciendas: pro his enim conceditur Guardiano Hierusalem, ut cum consilio Discretorum de pecuniariis sanctorum locorum eleemosynis erogare possit, ita tamen, ut non excedatur quarta pars ejus, quod de illis superit, adimpletis omnibus oneribus, pro quibus destinatae fuerunt.

§. III.

De Terrae Sanctae Commissariis.

Vallis. 1593. Ultram. tit. De Terra Sancta 1216 Quia impossibile est conservari Terrae Sanctae loca absque subventione eleemosynarum, quae ubilibet a Fidelibus offeruntur; ad easdem procurandas, colligendasque unus, vel alter, aut etiam plures Commissarii pro diversitate nationum instituantur Ministri Generalis arbitrio, prout ipse de Patrum consilio magis expedire censuerit. Ii vero moribus probati sint, umiles, fideles, pii, solertes, experti, tantoque muneri idonei.

Vict. 1694. 1217 Nullus eorum (Matritensi, Romano, Viennensi, ac Parisi-

ensi Commissariis dumtaxat exceptis) vocetur, aut se subscribere, vel inscribi facere audeat cum titulo Procuratoris, aut Commissarii Generalis Terrae Sanctae. Quod si aliquando errore irrepsit, ut amanuensium defectu hujusmodi Commissarii in aliquo publico ordinis, vel Prelatornm Generalium documento Commissarii Generales Terrae Sanctae dicti sint, non aliter id intelligentum, qnam sicut intelliguntur mandata procuratoria per notarios fieri solita, videlicet, quod generalitas cadat supra negotia, non autem supra officium, afficiendo illud qualitate generalitatis.

1218 Prohibentur iidem Commissarii, praecipue in partibus Germaniae, Italiae, et insularum adjacentium instituere, nominare, aut substituere Vicecommissarinm aliquem, seu aliqnos in suis restrictionibus sub nullitate actus, et inde secutorum, ac sub privatione officii Commissario contra facienti; sed per se ipsos, et socios suos negotia Terrae Sanctae gerant. Quod si in aliqua natione, seu residentia aliquem hujusmodi Vicecommissarium nominari necesse sit, ejus institutio ad Ministrum Generalem privative pertineat, et per solas ipsius patentes literas valida sit. Si vero Superior Generalis alicui Commissario in scriptis expresse concedat, ut Vicecommissarium bene visum in aliqua provincia instituat; id intelligatur juxta alias disposita, ut non deputetur, nisi quem Definitorium provinciae ad id muneris idoneum judicaverit. Tolet. 1658. Victor Sup.

1219 Non habeant nisi socium unum, et ad summum unum Tertiarium. Socius autem non se inscribat, aut subscribat titulo Secretarii, cnm sit merus socius ad servitia. Victor. Sup.

1220 Tam ipsi, quam socii, et alii quicumque Fratres Terrae Sanctae etiam in Romana Curia inservientes, quantum per legitimas occupationes licuerit, adesse teneantur communitatibus chori, ecclesiae, refectorii, ceterisque omnibus fnnctionibus, et processionibus, quae a Communitate fiunt. Tolet. Sup. Rom. 1664. 1688. Victor. Sup.

1221 Nec eorum aliquis sub apostasiae nota exire audeat e conventu, nisi accepta toties quoties a Superiore locali benedictione et licentia: Superior autem negare licentiam non possit, inconsulto Superiore Generali. Similiter iidem Commissarii exeuntes e provincia significare debeant Provincialibus discessum, et regressum; responsum autem expectare non teneantur. Ex eisdem. Rom. 1688.

1222 Commissariorum personae sunt immediatae subditae Superiori Generali Ordinis, et Familiae suarum commissionum, juxta decreta apostolica de subjectione Fratrum quorumcumque respectu Commissarii Generalis Familiae, dum in ejus partibus degunt. Venerabuntur tamen, et recognoscent Guardianum loci tamquam suum Superiorem quoad vitam regularem: degentesque extra Romanam Curiam, Provincialium jurisdictioni quoad correctionem morum, et paternam visitationem subsint. Victor. Sup. Rom. Sup.

1223 Socii autem Commissariorum, et reliqui Fratres pro Terra Sancta intra fines commissionum operantes, Provinciali, et Superiori locali quoad vitam monasticam, regularem disciplinam, morumque correctionem taliter snbditi sint, ut sicuti Commissarii, si deliquerint, puniendi sunt a Superiore Generali familiam regente, ita socii, et reliqui a Prae- Victor. Sup.

lato Provinciali, et Locali, tamquam ceteri Fratres, moneri, corrigi, et puniri debeant.

Tolet. 1658. Rom. 1688. 1645. 1224 Guardiani inconsulto Superiore Generali hujusmodi Fratres impedire non possint ab exercitio proprii muneris: imo iidem, atque etiam Provinciales Ministri, et superiores quicumque Commissariis, et sociis omnem religiosam caritatem, et favorem impertiri teneantur, ut sanctis locis prout debent, exacte, utiliterque inservire possint.

Tolet. Sup. Victor. Sup. 1225 Tam Commissariis, quam Vicecommissariis conceditur, ut ex provinciis sui districtus Fratres moribus, et vita probatos assumere, et mittere possint ad quaestuandum pro Terra Sancta, cum beneplacito tamen, et approbatione Ministri Provincialis, cujus iidem Fratres fuerint subditi, et non aliter: missi vero, expleta quaestuatione, et ratione iis reddita, a quibus destinati fuerunt, recto tramite ad suos conventus redire debeant. Quod si absque dicta approbatione, et beneplacito ad quaestuationem iverint, vel, ea expleta, ad suos conventus illico non redierint, a suo Provinciali vigore hujus statuti gravis apostasiae poenis puniantur.

Victor. Sup. 1226 Iidem quaestuarii, cum in districtibus conventuum fuerint, Guardianis locorum se sistere, suasque facultates ostendere teneantur: neque eis in domibus saecularium absque urgente necessitate pernoctare liceat, et nullo modo, ubi conventus Ordinis sunt: ubique vero religiosae vitae, prout decet, exemplum praebant. Qui in his deliquerint a Superiori Provinciali, vel Locali, cui legitime, licet summarie constiterit, in custodia detineantur, et juxta facultates sibi competentes puniantur; destinatis aliis ad quaestuationes in Terrae Sanctae subsidium complendas, monitisque superioribus, et Terrae Sanctae Commissario de iis, quae acciderint.

Ibidem. 1227 Districte, et sub officii privatione mandatur Commissariis, ut omnino abstineant a mendicatione rerum, quas in propria specie in Sanctorum locorum, et Fratrum ad ea pertinentium necessitatem impendere non possunt. In locis tamen, ubi sunt portus maritimi, unde Fratres ad Terram Sanctam euntes solent navigio discedere, permitti poterit aliqua olei, casei, vini, et similium collectio, ad effectum dumtaxat, ut Fratribus ipsis de necessariis in itinere provideatur in propria specie, moderate tamen, et sine damno conventuum: in ceteris autem commissionibus servetur consuetudo, dummodo conventibus damnum non inferatur: super quo Superior Generalis, ne scandala, et turbationes eveniant, providere curabit.

Vallis. 1593. Victor. Sup. 1228 Eleemosynas ad Loca Sancta spectantes syndici apostolici recipiant, servent, administrent. Horum autem institutio ad solum Ministrum Generalem spectet: sed in casu repentino ad Ministrum Provinciae, in qua est commissio, recursus haberi poterit, qui Syndicum interim instituat, cum clausula, donec Reverendissimus Pater Noster Minister Generalis provideat: idque ne commssionis aeconomia sine syndico maneat.

Victor Sup. 1229 Sub poena Privationis officiorum indispensabiliter exequenda, praecipitur omnibus, et singulis Terrae Sanctae Commissariis utriusque Familiae, ne ex eleemosynis pro Terra Sancta oblatis, vel procuratis or-

namenta, vasa, lambades, candelabra, vel alind quodcumque supellectilis genus faciant, aut fieri curent, vel permittant, nec rem aliquam emi faciant, vel Jerosolimam transmittant, nisi prius a Guardiano, et Procuratore Terrae Sanctae fuerint requisiti, et a Superiore Generali aliquid eorum expressum, et determinatum transmittendi licentiam obtinuerint. Sub eadem poena eisdem mandatur, ne in hospitiis Terrae Sanctae ulla fabrica de novo fiat absque expressa ejusdem Generalis facultate.

1230 Sub poenis in proprietarios latis, aliisque de Superioris Generalis arbitrio ferendis, ne liceat Commissariis, aut Vicecommissariis quidquam de pecuniariis eleemosinis apud se retinere, eoque minus per se, vel per interpositam personam expendere, sed omnes omnino syndicis tradendas curent, exigendo ab eisdem schedulam quantitatis, quam quisque apud se depositam, servandamque acceperit. Tolet. 1682.

1231 Habeat Commissarius quisque, et Vicecommissarius rationalem librum, in quo eleemosynae omnes a fidelibus oblatae espresso offerentium nomine describantur: et in altera ejusdem libri parte de earumdem eleemosynarum administratione sigillatim, et expresse constet. Si quae fuerint eleemosynae perpetuo, vel ad tempus oblatae, vel offerendae, de his ipsis habeatur peculiaris liber; singulisque largientes, vel offerentes in eodem libro subscribant. Syndici quoque librum suum suscepti, et expensi habeant in omnibus Commissariorum libro respondentem. Vallis. 1593. Salm. 1618. Tolet. Victor. Sup.

1232 Expensarum omnium fine, et causis earum expressis, recensio fiat tum syndici, tum Commissarii manu firmata. Quae vero Commissariis ipsis, aut sociis sunt in dies necessaria, per schedulas similiter firmatas ab esidem syndicis ministrentur. Tolet. Sup.

1233 Commissarii ne Fratres ullos Jerosolimam mittant cum eleemosynis a se collectis, nisi a Superiore Generali per ejus patentes literas destinatos: tum vero omnia servabunt, quae in decretis pro Terra Sancta editis, et a benedicto XIV speciali forma confirmatis, missionem ipsam respicientia capite tertio, et ultimo continentur. Rom. 1679 Tolet Sup. Bened. XIV. *In supremo.*

1234 Si contigerit Religiosos ad Terram Sanctam pergentes in conventibus portuum maris diutius, quam par est, commorari pro navium occasione captanda, ipsosque interim in aliis conventibus distribuere opus fuerit: Commissarii ne sibi Provincialium jura tribuant, eos huc, illuc pro libito destinantes; sed Provinciales admoneant, qui ad eorum instantiam prompte, ac benigne, prout expedire censuerint, providebunt. Tolet. Sup.

1235 Fratres euntes ad Terram Sanctam, et inde redeuntes, cujuscumque gradus, et conditionis, post triduum quietis, nisi infirmitate detineantur, choro, aliisque sanctae communitatis actionibus intersint, nec e conventu exeant sine expressa superioris Localis licentia toties quoties petenda. Guardiani vero sub officiorum privationis poena eos alere, et sustentare teneantur. Provinciales, qui secus permiserint, per semestre a suo munere suspensi sint. De statuti hujus inobedientia, si evenerit, Commissarii certiorem faciant Superiorem Generalem, qui taxatis, aliisque arbitrio suo infligendis poenis contra inobedientes Guardianos procedet. Ibidem.

1236 Tam Commissarii, quam Vicecommissarii, sub poena pri- Salm. 1618.

Victor. 1694. Assis. 1753.

vationis officii singulis sex mensibus, aut saltem singulis annis in qualibet Congregatione, et Capitulo proviuciarum, in quibus resident, rationem reddere teneautur eleemosynarum omnium, quas sive in pecunia, sive in propria alterius rei specie pro Terra Sancta qumodolibet collegerunt, aut colligi vel expendi fecerunt, sive quae ad eos undecumque, et quomodocumque pervenerunt.

Salm. Victor. Assis. Sup.

1237 Hanc autem rationem reddere debebunt ex autographis libris rationalibus tam suo, quam syndici apostolici Terrae Sanctae producendis, atque invicem conferendis coram Provinciali, et definitorio Provinciae, in qua commissarius quisque, vel Vicecommissarius residet, praesente eodem syndico, vel ejus substituto. Si autem praesens fuerit Superior Generalis, vel ejus delegatus, et redditioni rationis adesse voluerit; coram ipso cum aliquibus gravioribus Patribus, privative quoad Definitorium, id fieri poterit. Quod si in conventu residentiae Provincialis non soleat residere Comissarius, vel Vicecommissarius, reddatur ab iis ratio coram Guardiano, et Discretis conventus. Pariterque si cum Provinciali non adsit Definitorium, poterit Provincialis pro suo arbitrio aliquos ex praecipuis, et gravioribus Provinciae Patribus de suae residentiae conventu assumere. Quod si per dictam rationis redditionem Commissarius, vel Vicecommissarius de infidelitate, vel mala administratione argui possit, per litteras Patrum de congressu, in quo ratio reddita fuerit, moneatur Superior Generalis, ut de justitia providere possit.

Salm. 1618. Rom. 1691.

1238 Definitorio insuper Generali in generalibus Comitiis congregato eadem ratiocinia exhibenda omnino sunt; nec vero in unica tantum summa, sed numero distincta, ut vel sic de omnibus eleemosynis collectis transmissis, et quovis modo administratis exactior ratio habeatur: si quid dignum animadversione fuerit, ordinetur, et cujusque cura, et solicitudo commendetur. Hujus tamen rei causa Commissarii ad comitia accedere non debeant; sed rationes reddant, liquidentque coram Ministro, et Definitorio provinciae, in qua degunt, et in ultima ejus sessione, quae fiet pro syndicatu ad comitia mittendo, sicque probatas, liquidatas, subscriptas, clausas, et sigillo commissariatus munitas Vocalibus ad Capitulum Generale deferendas tradant. Ad congregationem vero generalem quavis alia tuta occasione transmittant, vel Ministro Provinciali dent dicto syndicatui jungendas.

Rom. 1679. Tolet. 1682. Rom. 1691.

Tolet. Sup.

1239 Caveant Commissarii sub poena privationis officiorum suorum, ne peregrini quicumque saeculares, aut regulares ad Sancta loca pergentes iter carpant, et navim conscendant, nisi pro certo habeant, sat illis esse de viatico pro complenda peregrinatione provisum. Quantitas autem eleemosynae adnotanda erit in brevi, sive in obedientialibus eorumdem peregrinorum literis firmandis a Commissario Terrae Sanctae ejus portus, ex quo discedent.

1240 Sed quia plerumque sub habitu peregrinorum, tertiariorum, et eremicolarum apostatae sicophandae aut balatrones incedunt, ex quibus damna non pauca, et de decora maxima Christifidelibus, ac nostrae in

primis Religioni eveniunt; districte praecipimus Commissariis, ut super iisdem personis luculenter invigilent, eorum obedientiales examinent, et si quos repererint malae famae, aut transfugas, aut valde suspectos, nullo modo ire permittant. Quod si Naucleris, Commissariisque deceptis in partes Orientis appulerint, praecipue si sint apostatae cujusque Ordinis, ii, ad quos pertinet, curent diligenter, ut ad propria remittantur, implorato Consulum Nationum auxilio.

1241 Commissariis, et Vicecommissariis praedictis, eorumque so- Salm. 1618.
ciis, qui in colligendis pro Terra Sancta eleemosynis occupantur, licebit ex eisdem sibi in suis necessitatibus subvenire, parce tamen, ac modeste, prout sanctae paupertatis professores decet, necessitatem sanctorum locorum assidue spectantes.

1242 Commissariorum officium nullo definito tempore durare de- Victor 1694.
beat; sed possit Minister Generalis pro suo libito vel in officio retinere, vel, nulla etiam interveniente causa, sive in Capitulo Generali, sive alio quovis tempore, licet ante octennium, vel duodennium amovere: imo in literis patentibus suae institutionis apponatur clausola durationis ad beneplacitum.

1243 Quod si aliquis eorum a Sancta Sede suarum patentium li- Ibidem.
terarum confirmationem etiam in forma specifica extorserit, non exprimendo in expositione, quod durant ad beneplacitum Generalis pro tempore; literae apostolicae intelligantur tantum corroborativae facultatum ex vi constitutionum Ordinis officio suae commissionis competentium, non autem impeditivae amotionis; cum ex hoc capite essent subreptitiae.

1244 Qui octo continuis annis laudabiliter, et fideliter officium Com- Tolet. 1633.
missarii Terrae Sanctae exercuerit, gaudeat immunitatibus Definitoris Ibidem.
Provincialis: qui autem id praestiterit continuo duodennio, gaudeat Rom. 1750.
praerogativis Patrum provinciae, post Lectores jubilatos de numero quoad titulum, et precedentiam tantum.

§. IV.

De Conceptionistis, Tertiariis, Chordigeris.

1245 Religio sub Immaculatae Conceptionis titulo in Polonia, prout Rom. 1691.
ejus alumni supplici libello petierunt, recipitur, servatis servandis, sub directione, protectione, et obedientia Ordinis nostri, regenda ad praescriptum propriae regulae, suarumque constitutionum, sub jurisdictione Superioris Generalis Cismontani de Observantia.

1246 Quoniam Pater Noster Seraphicus ea qua, plenus erat, chari- Tolet. 1633.
tate per trium Ordinum institutionem Fidelibus universis ad poeniten- Rom. 1688.
tiae, aeternaeque salutis fructum prodesse voluit; ejusdem votis obsequentes, omnes, et singulos provinciarum, et locorum Superiores hortamur, monemus, atque etiam in Domino rogamus, ut, qua fieri potest sua, ac subditorum suorum diligentia Sacrum Tertii Ordinis pro saecularibus Institutum promoveri, et magna in veneratione tam a Fratribus, quam a populis haberi curent: faciantque, ut Praedicatores saepius, prout debent, ejus dignitatem, utilitatemque in concionibus declarare non omittant.

Ex eisdem. 1247 Non in locis solum, in quibus conventus Ordinis sunt, sed alibi etiam idem sacrum institutum esse, et propagari curent, erectis, aut destinatis altaribus, et cappellis pro Fratrum, et Sororum exercitiis secundum regulam pie peragendis.

Ex eisdem. 1248 Ejus Visitatores, seu Commissarii in Capitulis, et Congregationibus intermediis eligantur, moribus, et doctrina praecipui, qui diebus dominicis Tertiarios ad perseverantiam in Dei honore, morumque reformatione hortari valeant, et teneantur.

Rom. Sup. 1249 Ejusdem Tertii Ordinis Fratres, et Sorores sive in propriis domibus, sive in Congregatione, sine votis tamen religionis degentes, ad praescriptum apostolicarum constitutionum, directioni, correctioni, ac visitationi Ordinis nostri subjecti censeantur.

Ibidem. 1250 Sit etiam in quolibet Regularis Observantiae conventu Confraternitas Chordae S. P. N. Francisci ad praescriptum constitutionis Sixtinae.

Ibidem. 1251 Tertii Ordinis, hujusque etiam Confraternitatis alumni statutis regantur apostolica auctoritate roboratis, ut in libro cui titulus, *Directorium trium Ordinum.*

Ibidem. 1252 Nulli Eremitae, Donato, Hospitalario, Infirmario, Quaestuario, aut Eleemosynario, nullique mulieri cujuscumque conditionis, aut exercitii sub habitu dicti Tertii Ordinis incedere permittatur, nisi de licentia, et consensu Superiorum primi Ordinis, ad quos privative quoad alios quoslibet dictum habitum concedere, et saeculares ad professionem regulae ejusdem Ordinis admittere legitime spectat. Nec unquam permittatur, quod aliquae Moniales jus sibi tribuant habendi similes Tertiarios absque consensu Ordinis nostri.

Regula.

Ad haec per obedientiam injungo Ministris, ut petant a Domino Papa unum de S. R. E. Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector, et Corrector istius Fraternitatis etc.

§. V.

De Ordinis Protectore

Salm. c. 12. 1253 Cum Seraphicus Pater Ordinem nostrum unum de S. R. E. Cardinalibus Protectorem habere voluerit a Domino Papa pro tempore petendum, petitionem ipsam ad Generalem Ministrum, sive ejus no-
Gregor. XI. Cupientes. mine ad Procuratorem Generalem Ordinis, qui pro tempore in Romana Curia fuerit, pertinere dicimus; sic vero faciendam, ut, omni seposito humano respectu, Dei gloria, et religionis bonum unice quaeratur.

Vallis. 1593. Sixt. V. Sancta Minorum Religio. 1254 Ejusdem Eminentissimi Protectoris Personam, dignitatem, officium venerari omnes debemus; cujus patrocinio Ordinem ipsum in quieto, et pacifico statu conservandum, et augendum, et ab impu-

gnantibus, molestantibus, ac perturbantibus protegendum, ac defendendum merito confidimus.

1255 De illius obitu, cum e vivis decesserit, universus Ordo a Superioribus admoneri debet; ac pro ejus anima eadem suffragia ubique fient, quae pro Superioribus Generalibus fieri jubentur. Vallis. Sup.

§. VI.

De Constitutionibus.

1256 Religionis in veteri splendore suo conservandae summa haec est, observatio veterum constitutionum: unde hoc maximum sancitur, et supremum statutum, quod pristina inviolate serventur. Rom. 1651.

1257 Ne itaque in contemptum veniat Ordinis disciplina, praemissa statuta, constitutiones, ordinationes, declarationes ab omnibus servari volumus, et jubemus: ita ut Superioribus quibusvis, Generali scilicet Ministro in Ordine universo, Commissario Generali in sua Familia, Provincialibus Ministris in suis provinciis, Custodibus regiminis in suis Custodiis, Guardianis in suis conventibus, caeterisque Praelatis quocumque vocatis nomine, in omnibus supradictis Fratres omnes, et singuli obedire teneantur, prout in aliis licitis, et honestis, quae non sunt contra animam suam, et regulam nostram. Qui contraire praesumpserit, si debite monitus in contumacia perstiterit, poenis ipsis afficiatur, quibus inobedientes, contumaces, et perduelles afficiendos esse constitutum est. Salm. c. 12. Vallis. 1593.

1258 Ceterum ad hanc consequendam observationem expeditissima via est majorum exemplum. Si enim universitas Fratrum videat Praelatos, Custodes, Definitores, Guardianos, Lectores, Vicarios, aliosque Officiales ad tramitem regulae, et constitutionum officiis suis fideliter inservire, ceteri Fratres proculdubio aut omnino servabunt constitutiones, aut transgressionum poenam facilius ferent. Rom. Sup.

1259 Hinc Superioribus quibusvis districte praecipitur, ut praedicta omnia quantum ad eos spectat, accurate servent, et in suis administrationibus ab omnibus servari diligenter curent: quique in his notabiliter negligentes fuerint, suspendantur officiis, vel etiam priventur. Salm. Vallis. Sup.

1260 A Reformatis servanda in primis sunt propria eorum statuta edita in congregatione generali Romana 1642, cum eorum declarationibus factis in capitulo generali Romano 1688, aliisque decretis, quae ad eos nominatim pertinent in hac ipsa collectione identidem relatis: in iis autem, quae statutis hujusmodi non adversantur, generales Ordinis, et Familiae constitutiones retineri debent. Rom. 1642. Stat. Ref. c. 12.

1261 Si qua difficultas, vel dubitatio super ipsis constitutionibus occurrat, earum interpretationem, et explicationem Reverendissimis Patribus Ministro, aut Commissario Generali reservamus, et reservatam esse decernimus. Prout etiam si casus occurrat totam Familiam concernens, qui in sacris canonibus, et praemissis statutis non fuerit decisus, Vallis. Sup. Ultram. c. ult.

eorumdem Superiorum arbitrio, de consilio Discretorum Ordinis apud se existentium, et in horum defectu Discretorum provinciae, in qua esse contigerit, absolvi debeat. Casus autem ejusmodi ad provinciam pertinens per statuta ejusdem provinciae judicetur. Sin minus arbitrio Provincialis Ministri cum consilio Discretorum provinciae decernatur.

Ex eisdem. 1262 Nolumus vero per haec statuta abrogare certas vivendi formas, sive ordinationes, quas provinciae, vel Custodiae ad puriorem regulae observationem constitutas habeant.

Trid. Sess. 25. cap. 18. Ultram. Sup. 1263 Etsi publice expediat legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius evenientibus casibus, et necessitatibus pro communi utilitate satisfiat: frequentius tamen legem solvere, exemploque potius, quam certo personarum, rerumque delectu petentibus indulgere, nihil aliud est, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quare sciant universi Religionis nostrae professores, has omnes constitutiones indistincte esse observandas. Quod si urgens, justaque ratio, et major quandoque utilitas postulaverit cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita, et summa maturitate ab illis fiat, ad quos dispensatio pertinebit.

Ulram. Sup. Sixt. V. *Circumspecta.* 1264 Declaramus vero, per haec statuta, et alia quaecumque Fratres non astringi ad culpam, nisi alias per jus divinum, aut humanum fuerint obligati, et nisi in his ipsis statutis censurae, aut obedientiae ponantur.

Ex Salm. c. 12. Vallis. 1593. 1265 Ne autem iguorantia sit occasio delinquendi, volumus, ut postquam haec decreta typis impressa, et vulgata fuerit, Provinciales Ministri, pro sua quisque Provincia, solicite curent, ut in quolibet conventu sint eorum exemplaria: et quotannis bis, aut semel saltem publice legantur. Guardiani, qui neglexerint, suspendantur officio, vel etiam priventur Provincialium arbitrio. Ceterum cum in eisdem decretis plurima sint ad regimen politicum pertinentia, quae Superioribus quidem in promptu esse debent, subditis autem inculcari non multum interest; legenda dicimus, quae continent observantiam regulae, regularem disciplinam, vitam monasticam, divinum cultum, exercitia spiritualia, literarum studia, religiosum modum interius, exteriusque conversandi a prima Novitiorum instructione usque ad vitae finem; omissis, quae praecedentias, praerogativas, institutiones officiorum, electiones, subrogationes, et similia respiciunt: legenda vero non cursim, sed clare, et destincte, ut lectio ipsa non mere ad notitiam, sed, quod praecipuum est, ad instructionem, et regularis vitae disciplinam Fratri deserviat.

§. VII.

Pro aliquibus Provinciis.

Rom. 1676. 1266 Pro conservatione provinciae Candiae statuitur, ne ad Religionis habitum in ea admittantur, nisi Nationales; cum experientiae
Neap. c. 45. compertum sit exterorum admissionem illi obesse. Eamdem ob caussam
Rom. 1667. 1638 ejusdem Provinciae Fratres nullatenus in aliena incorporari possint.

1267 Pro eadem provincia ne fiat novitiatus in conventu S. Spiritus Venetiarum sub nullitate professionis; cum satis ei de novitiatibus in Oriente provisum sit, vel per Definitorium provideri possit. Rom. 1688.

1268 Provinciae Carniolae, quae alias Bosniae Croatiae dicebatur, concessum, ut aliquando, ob justitissimam causam a majori parte Definitorii probandam, unus de corpore ejusdem Definitorii in Guardianum eligi possit. Rom. 1688. 1679

1269 Idem concessum Provinciis Ragusii, et Candiae. Rom. 1688.

1270 Provinciae Bosniae Argentinae juvenes in aliis provinciis studiorum causa recipiendi sint, ac, sine filiorum praejudicio, ad lecturas etiam admitti possint. Ne tamen eisdem in provinciis incorporari, aut ulli Ministro eos, impleto studiorum vel lecturae tempore, in sua retinere liceat. Mant. 1762.

1271 Ejusdem Bosniensis provinciae Ministro, ob quotidianas Graecorum insidias facultas conceditur mittendi Constantinopolim Fratres duos, qui super id invigilent; quin tamen tractatum ullum, vel concordatum statuere possint de tributo aliquo Turcis solvendo. Guardianus autem conventus nostri Galatae eos admittere, eisdemque benigne favere teneatur. Rom. 1679.

1272 Fratres provinciae Albaniae, qui ad alienas studiorum causa pergunt, finitis studiis, mox ad propriam remitti debeant, sub poena suspensionis Provincialibus eos ultra retinentibus. Ibidem.

1273 In ejusdem provinciae subsidium a reliquis Observantium Italicis Provinciis centum aurei quotannis contribui debeant, colligendi prout disposuerit Superior Generalis, et ad nutum ipsius, prout expedire dignoverit, expendendi. Rom. 1623.

1274 Pro eadem Provincia committitur Superiori Generali, ut opportunum Ministrum a se electum, dum opus fuerit, ad eam mittat. Eliget autem ad id muneris theologiae Lectorem Jubilatum, vel Generalem, vel sexennalem, vel Praedicatorem Generalem, vel duodennem Missionarium; et distribute assumet ex Provinciis omnibus, quae ejusdem Provinciae subsidio gravantur. Ibidem. Valent. 1678.

1275 Privilegia a statutis concessa chori Moderatoribus in praecipuo uniuscujusque provinciae conventu, extenduntur ad eosdem Officiales in conventibus Montis Calvariae Neapolis, Lucae, Liburni, et Ferrariae, si Provinciarum, quarum interest, Definitoria consentiant. Valent. Sup.

FINIS.

[illegible]

[illegible] 3 and [illegible]

[illegible]